Katolik

Bibliothecae Ganovanensi
Comparavit L. Eustachius
Schoettlius 1770.
Ex auctione.

VITÆ PRÆSULUM

Poloniæ
Magni Ducatus Lithvaniæ
Res præcipuæ
Illorum temporibus gestæ
Ad Annum MDCCLX.
Origo Ecclesiarum Cathedralium
Quatuor Libris
COMPREHENSÆ
Operâ
P. FRANCISCI RZEPNICKI
è Societate JESU.
Luci publicæ
Cum permissu Superiorum
PROPOSITÆ

TYPIS POSNANIENSIBUS
Clári Collegii Societatis JESU.
1763.

TOMUS TERTIUS
Librum Quartum complectitur.

DIVIS

Ecclesiarum Cathedralium

in

Polonia

Magnoq; Ducatu Lithvaniæ

ac

Cæteris

Ejusdem Regni

PATRONIS

CONSECRATÆ.

PROTESTATIO AUTHORIS.

INsistendo Decreto SS. D. N. Urbani VIII. profiteor: non alio sensu, quidquid in his Libris refero in laudem alicujus, quod speciem sanctitatis aut miraculi habere videatur, accipi ab ullo velle, quam quo ea solent, quæ humana duntaxat authoritate, non autem Divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur: iis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Beatorum Catalogo adscripsit.

FRANCISCUS KOZMINSKI

Præpositus Provincialis Societatis JESU.

Per Majorem Poloniam.

CUm Opus, quod inscribitur. *Vitæ Præsulum Poloniæ &c. Quatuor Libris comprehensæ Authore P. Francisco Rzepnicki S. J.* aliquot Ejusdem Societatis Theologi recognoverint & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab A. R. P. Nostro LAURENTIO RICCI Societatis Nostræ Præposito Generali facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem has Litteras manu mea firmatas & sigillô munitas dedi Posnaniæ anno 1761. die 16. Februarii.

FRANCISCUS KOZMINSKI S. J.

(L. S.) *mpp.*

THEODORUS
DUX
In Klewan & Zukow
CZARTORYSKI
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ.
EPISCOPUS POSNANIENSIS
Et VARSAVIENSIS,

Opus sub titulo. *Vitæ Præsulum Poloniæ &c. Quatuor libros comprehendens Authore A. R. P. Francisco Rzepnicki S. J.* multiplici eruditione, & sana doctrina facundum, clare facta Antistitum Regni ex antiquioribus authoribus collecta illustrans, svaviterq; Lectoris animum occupans, ac in decus Infularum posteros ad imitandum alliciens, per aliquot ejusdem Societatis JESU Theologos revisum; nec dubium? quin litterariæ Reipublicæ magnam afferat lucem & utilitatem; dignum hinc, ut sicuti omnium oculis, ita & præli sudoribus committatur, censuimus, & facultatem imprimendi authoritate ordinaria damus & concedimus. In quorum fidem &c. Datt: in Cancellaria Curiæ Episcopalis Posnaniensis. Die 11. Mensis Martii Anno Domini 1761.

STEPHANUS SKRZEBOWSKI

Canonicus Cathedralis Posnaniensis

Auditor Generalis & Judex *mpp.*

(L. S.)

LIBER QUARTUS

Reliquorum in Polonia & Magno Ducatu Lithvaniæ Episcopatuum originem, ác Vitas eorum Præsulum, tùm res gestas illorum temporibûs recenset.

CAPUT PRIMUM.
De Episcopatu Premisliensi.

Cathedra hæc sua initia debet Ludovico Poloniæ & Hungariæ Regi, qui eam Premisliæ fundavit, Gregorius verò XI. confirmavit. In anno 1412. Ladislaus Jagello Ecclesiâ Græci ritûs S. Joannis in arce Premisliensi pro templo Cathedrali Episcopo Premisliensi obtulit, sed hæc temporum vetustate & injuriâ cùm lapsum minaretur, Nicolaus in ordine V. Præsul aliam pro majori commodo populi in civitate condidit, sob titulo S. Joannis, quam, ut suo loco dicetur, Alexander Fredro XLVII. magnis impensis restauravit. Diæcesis hæc nacta est primum Antistitem, Ericum Ordinis Minorum Conventualium.

Premislia urbs ad fluvium Sanum condita à Premislo Duce, ab ejusdem nomine de nominationē sortita est. Hic Principatum non Natalibus, sed ingenio & virtuti debuit. Pannones & Moravi auctis viribûs ex finitimis populis, irruptione in Poloniam facta, cùm

Palatinos (quos post extinctam Vandam rebus suis præfecerant Poloni) non una acie profligâssent, & impune grassarentur; Premislus, Vir ea tempestate strenuus, non à gloria natalium, aut copiarum præfecturis, (*Bielski L. 1.* aurifabrum scribit) sed ab arte militari inter suos commendatus, collectum tumultuariâ manu militem ut augeret, truncos arborum, virgulta & colles editos galeis, scutis, varioq; armorum genere adornavit, & soli orienti opposuit. Resplenduit acies personata, cumq; hostis in illa cohortium simulacra pararet impetum, Premislus ingenii & artis successu lætus prodiit ex insidiis, & in hostem, à tergo irruens, magna strage debacchatus est, plenamq; obtinuit victoriam. Liber ab hoste populus Premislum, Ducem Poloniæ proclamavit, & ut nominis authoritatem adderet, Lesconem dici voluit. *Dlugossius L. 1. Bielski L. 1. Sarnicki L. IV.*

Urbs hæc suæ Terræ caput & Metropolis, præter Ecclesiam Cathedralem Ritûs Latini, habet Cathedram Ritûs Græci, & Episcopum. Diæcesis Premisliensis latitudo satis ampla, ex novem Decanatibus componitur: Premisliensi, Moscicensi, Crosnensi, Dinoviensi, Samboriensi, Jaroslaviensi, Rzeszoviensi, Sanocensi, Lezayscensi. Annô 1723. sub tempus Synodi, quam Christophorus Szembek celebravit, numerabat Ecclesias Parochiales 158. præter Ecclesias variarum Religionum, quæ in hac Diæcesi copiosæ sunt. Extat in ipsâ Urbe Premislia cum ædibus religiosis Ecclesia PP. Ord: Prædicatorum à D. Hiacintho condita, ad quam Idem Sanctus effigiem B. Virginis Kioviâ ope Divina transtulit, ut loci annales perhibent. *Nowowieyski in Phœnice redivivo.*

Capitulum Premisliense præter Canonicos septem primi ordinis, qui usitato nomine Prælati dicuntur, totidem habet Canonicos secundi Ordinis, è medio sui unum quotannis Judicem ad Tribunal Regni eligit: con-

ongressus suos generales geminis vicibûs in anno celebrat, die festo S. Joannis Baptistæ, & SS. Trium Regum: Illius stemma est: D. Joannes Baptista manu sinistrâ vexillum tenens.

Diæcesis hæc præter varias urbes antiquitate commendatas; habet Jaroslaviam (Ducum Czartoryskiorum ad præsens hæreditas) effigie Deiparæ Virginis Dolorosæ in Templo Patrum S. J. extra urbem miraculis clarâ & populi concursu, annô 1755. die 8. Septembris coronatâ celebrem. *Vide L. 1. p. 240.*

ORDO & VITÆ
EPISCOPORUM PREMISLIENSIUM

I.

ERICUS juxta alios HENRICUS
De Stemmate Mora

Caput est Æthiopis in campo rubro cinctum vittâ nigrâ.

Fundata recens Cathedra egebat Præsule, qui ejus initia religione & morum probitate adornaret. Ad id muneris maximè visus est idoneus Ericus è familia D. Francisci, quem vita & probata scientia in suo Ordine fecit commendatum; quare Ludovicus Rex Gregorio XI. erat supplex, ut eum novo gregi præponeret. Consecratus in Episcopum Ericus limitibûs definivit Diæcesim, & Ecclesias paucas quidem, quas propria & aliquorum struxit liberalitas, dedicavit, ac in paræcias divisit, suo cuivis Rectore designato. Capitulum & illius dignitates more aliarum Cathedrarum instituit, plures Schismati Photiano addictos Romanæ Ecclesiæ lucratus: Fratres Instituti sui Crosnam introduxit circa annum 1379. liberaliq; dotavit manu. Dierum plenus obiit 1390.

Naramowski L. II. C. XIII. Philippum Komarnicki

cki primum huic Sedi præfuiſſe ſcribit. *Dlugoſſius: L. X.* Ericum Alemannum Ord: Minorum ad hanc Sedem a Gregorio XI. ad poſtulata Ludovici recens inſtitutam conſecratum aſſerit. *Nakielſki fol: 314.* Henricum eum appellat. Series quoq; Epiſcoporum Premiſlienſium Henricum dicit: *Henricus Alemannus. Premiſlitana qui primus in arce Latinos inſtituit ritus, Religioſus erat.*

II.

MATHIAS I.

De Stemmate Janina

In campo rubro ſcutum eſt coloris purpurei.

PLurium annorum Præſul Jacobum Ord: Min: Conventualium in Archiepiſcopum Leopolienſem conſecravit. Privilegium Jagellonis Leopolienſi urbi 1400. datum, & Horodlenſe 1413. ſubſcripſit. *Vide Volum: Leg: I.* Controverſias 1408. de fonte Baptiſmi, de adminiſtratione Sacramentorum inter nonnullos exortas feliciter compoſuit, eaſq; ad normam Eccleſiæ Romanæ definivit. Poſt aſcenſum Nicolai Trąba ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem adminiſtravit Diæceſim Halicienſem. Quo anno obiit, ſiluit antiquitas.

III.

JOANNES I. à LUBEN

De Stemmate Doliwa

Tres ſunt roſæ in campo rubro.

HUjus acta prætermiſit antiquitas. Obiit 1435. Hunc prætermiſit Naramowski, ſed *Dlugoſſius L. XII.* hunc Joannem in Sede Premiſlienſi ultimum diem obiiſſe ſcribit. *Nakielſki fol: 359.* illum Mathiæ ſucceſſiſſe aſſerit.

IV.

IV.

PETRUS I. CHRZĄSTOWSKI

De Domo Strzegończyk.

POſt obitum Joannis congregati Canonici elegerunt Franciſcum de Orzek Decanum Leopolienſem, Premiſlienſem Canonicum; hunc tamen Petrum Cracovienſem Canonicum, S. Floriani Præpoſitum Eugenio IV. Ladiſlaus Rex propoſuit, quem Summus Pontifex cùm confirmaſſet, illum Sbigneus Cracovienſis Epiſcopus die feſto Aſſumptionis B. Virginis conſecravit. Multis beneficiis auxit Diæceſim teſtimoniô Dlugoſſii, exuit mortalitatem 1452. *Dlugoſſius, Bielſki* Nicolaum nominant; ſed iidem ubi obitum ejus deſcribunt, Petrum appellant.

V.

NICOLAUS I. BŁASZKOWICZ

De Familia Odrowaziorum.

NAtione Sileſita, Secretarius Caſimiri Regis, eos Principis hujus affectus meruit, ut promotionem ſui ad huncce Epiſcopatum illi ſoli debuerit. Rex hic cùm litteris ſuis ejus electionem Canonicis commendaret, Proceres verò Poloniæ, ne eligeretur, tanquam alienigena, ſua mandata Capitulo deferrent, Canonici, ne aut Regem, aut Dynaſtas offenderent, omni electione abſtinuerunt. (a) Res hæc, ut ſcribit Bielski, inter Proceres & Regem non parvi diſſidii fuit occaſio. Sed Caſimirus judicii ſui tenax Nicolaum Summo Pontifici Nicolao V. ad Eccleſiam hanc impenſiùs commendavit, à quo Błaſzkowicz confirmatûs poſſeſſionem Epiſcopatûs adiit.

In primordiis animô minùs benevolô acceperunt

A 3 Pr

(a) *Dlugoſſius Lib: XIII.*

Præſulem Canonici, ac Diæceſis incolæ, ſed modeſtia, affabilitas Nicolai effecit, ut poſtmodum cunctis cordi eſſet. Cathedram, quæ in arce Premislienſi inſtituta erat, antiquitate & injuriâ temporum cùm Eccleſia in ruinam inclinata eſſet, ad civitatem tranſtulit, & novam à fundamentis erexit; ſacra ſupellectili, aliiſq; donîs adornavit. 1474. abſolutô ſacrificiô cùm ſe langvere & viribûs deſtitui adverteret, debilitatem ſomnô levaturus, lectum petiit, ſed brevi eadem die pejus valere cæpit, quare diſpoſita domo, Sacramentis munitus obiit: in Eccleſia, quam erexerat, ſepultus.

VI.

ANDREAS I. OPOROWSKI

AD Vladislavienſem Sedem promotus eſt. *Vide Lib: II. p. 48.*

VII.

PETRUS II. MOSZYNSKI

IN Vladislavienſi ſucceſſit Oporowſcio. *Vide Lib: II. pag: 48.*

VIII.

JOANNES II. KAZIMIRSKI

De Familia Biberſzteinorum.

CUm Chełmenſem Diæceſim optimè rexiſſet, huic præfici meruit. Uchanis Eccleſiam Religioſorum S. Pauli I. Eremitæ conſecravit. Tribûs annis Premislienſem Eccleſiam gubernavit fato invidente Præſulem virtute & ingeniô commendatum: in humanis eſſe deſiit 1487.

IX.

JOANNES III. TARGOWICKI

Gente Tarnavita.

VEſtigia optima Kazimirſcii ubiq; ſecutus. in Chełmenſi & Premislienſi Sede eidem ſucceſſit: Præſul humanitate, benevolentiâ, vitæ integritate inſignis. Eccleſiam Przevorſcenſem Canonicorum Regularium SS. Sepulchri viſitavit. Samboriæ verò ædem ſacram PP. Ordinis Min: de Obſervantia conſecravit. Plurimis geſtis glorioſus diem ſupremum obiit 1490. ſepultus Premisliæ.

X.

NICOLAUS II. KRAIEWSKI

Cygno pro Stemmate inſignis.

ERuditione, & virtute prodroma, promovente Caſimiro Jagellonida adiit Epiſcopatum. In aula illius multa meruit, hac in Sede plurima: præfuit Diæceſi ut Paſtor optimus, conſuluit Patriæ, ut amans Poloniæ Civis & Senator. Privilegium Joannis Alberti Urbi Cracovienſi & Lublinenſi datum ſubſcripſit. Ad majores ab hoc Principe parabatur Infulas, ſed optimum Antiſtitem mors invidit Regno: ceſſit fatis 1498. in ſua Cathedra ſepulchri honorem nactus.

XI.

ANDREAS II. BORYSZEWSKI

AD Gneſnenſem promotus Metropolim. *Vide Lib: I. p. 106.*

XII.

MATHIAS II. DRZEWICKI

IN Gneſnenſi Sede ultimum diem expertus eſt. *Vide L. I. p. 111.*

XIII.

PETRUS III. TOMICKI.

IN Cracovienſi Epiſcopatu vitam in melius mutavit. *Vide L. I. p. 320.*

XIV.

XIV.

RAPHAEL LESZCZYNSKI

AD Plocensem Ecclesiam translatus. *Vide L: III. pag: 251.*

XV.

ANDREAS III. KRZYCKI

SUccessit Lesczynscio in Plocensi Cathedra, in Gnesnensi decessit fatis. *Vide L. I. p. 113.*

XVI.

JOANNES IV, KARNKOWSKI

VLadislaviensi Episcopatui immortuus. *Vide L. II. pag: 54.*

XVII.

JOANNES V. CHOIENSKI

AD Plocensem Sedem assumptus, in Cracoviensi mortalitatem exuit. *Vide L. 1. p. 324.*

XVIII.

PETRUS IV. GAMRAT

PLurium Ecclesiarum Antistes, Cracoviensis simul & Gnesnensis obiit. *Vide L. I. p. 115.*

XIX.

STANISLAUS TARŁO

De Familia Toporeorum.

PRimus hic inclytæ Tarłonum Genti ad Magistratus in Republica Ecclesiastica viam stravit, per quam eluctata in pluribus Poloniæ Præsulibus eminuit Infulata. Cracoviensis, Vladislaviensis, Sandomiriensis Canonicus, Archidiaconus Lublinensis Isabellam Sigismundi

mundi I. Regis Poloniæ Filiam Joanni à nonnullis in Regem Hungariæ electo desponsatam deduxit.

Orzechowski Annali V. scribit Cum omnia ad iter Isabellæ parata cerneret quidam Stanczyk, homo ad aulæ lepores natus, liberiùs, quam decuit, Sigismundum admonuit: ut antequam filiam in Hungariam expediret, tabernam Cracoviæ restauraret, in qua reditura rem cauponariam exerceret. Dicacitas hominis omen mali fuit. Joannes Ferdinandi Austriaci armis pressus non diu supervixit, Isabella verò cum filio dote & Regnò spoliata rediit in Poloniam; & nisi impensis Sigismundi Augusti Fratris foveretur, vixisset miserrima. Regina hæc cùm ex pactis Regium Hungariæ diadema Joanni Baptistæ Ferdinandi exercitûs Præfecto Cassoviæ extraderet, illudq; evolveret: crux ex ejus fastigio casu delapsa, magnô studiô quæsita nusquam reperiri potuit: & cum ea jactura Ferdinando delatum est. Aderat Reginæ Matri coronam reddenti filiolus, qui crucem amissam nactus, Isabellam arbitris vacuam, & ultra modum tristem adit, cur mæreret quærens: cui Mater: *Quia Tibi miserrimo Regi,* inquit, *ac mihi miserrimæ Matri ne diadema quidem Hungariæ reliqui.* Ad hæc puer ultra ætatem respondit: *Tace obsecro, mea Mater, ac lachrymis abstine; tenemus enim & nos adhuc partem diadematis,* ac cum hoc dicto crucem de sinu profert & addit: *Noli desperare, ad hanc crucem reliquas ejus partes aggregatum iri* Orzechowski loco citato.

Ex ea legatione redux Stanislaus post ascensum Gamrati ad Sedem Plocensem Premisliensis Præsul Petrum Starzechowski in Archiepiscopum Leopoliensem consecravit. Officii Pastoralis custos rigidus Stanislaum Orzechowski Canonicum Premisliensem, quod ab alio Episcopo sacris initiatus esset, ad suam Diæcesim non admisit. Obiit 1544. Crosnæ in templo Ord: Min: Conventualium sepultus. *Paprocki* scribit illum fuisse *Divinarum, humanarumq; rerum peritiâ insignem*

gnem. Andreas quoq; Bochnenſis laudes ejus brevi calamô attigit. *Vir zelô, decorô & divini cultûs ſtudiô ardentiſſimus.*

XX.

JOANNES VI. DZIADUSKI

De Stemmate Jelita

Tres ſunt haſtæ, quarum duæ acie erectæ in figuram litteræ, X, tertia in medio erecta, ſed ferrô demiſſa eſt

IN Academia Cracovienſi ſcientiarum, in aula Sigiſmundi I. meritorum poſuit fundamenta. Andreæ Zebrzydowski in Sede Chełmenſi ſucceſſit, vix unius anni Præſul multa egit. Eccleſiam Tarnogoræ (qui locus Izbica antea dicebatur) erexit & dotavit, ac brevi ad eandem, Oſtrzyciis paræciam tranſtulit omnibûs proventibûs Eccleſiæ Tarnogorenſi applicatis.

Premislienſis Antiſtes Sacrorum Canonum Cuſtos & propugnator Stanislaum Orzechovium, qui Canonicus & Presbyter Magdalenam Joannis Chełmski Filiam in ſociam vitæ ſvadente illius temporis licentia duxerat, latis cenſuris communione fidelium privavit. Factum hoc Dziaduſcii Nicolaus Dzierzgowski Archiepiſcopus Gneſnenſis cùm approbâſſet, non exiguos motus excivit in Polonia. Orzechowſciorum Nomen potens in Ruſſia opibûs, & ſangvine primis in Regno Familiis erat conjunctum: Poloniæ pars magna & Senatûs, Majorum religione abjecta, Lutherum, Calvinum ſequebatur. Horum patrocinio confiſus Stanislaus, acuit calamum in authoritatem Præſulum. A tantæ eruditionis & ſangvinis Viro, ut erat Orzechovius, metuebat ſibi Ordo Eccleſiaſticus. Regni Primas Dzierzgowski, ut malo obviaret, initô cum aliis Epiſcopis conſiliô, Synodum Petricoviam convocavit, ad quam ut Orzechovius compareret, Metropolitana poteſtate mandavit. Nondum exuerat omnem Eccleſiæ reve-

reverentiam Stanislaus; venit ſed magno ſuorum comitatu: & cùm in ſermone ad congregatos Patres ſe Catholicum, Romanô Pontifici ac Præſulibus obedientem aſſereret, & fidei formulam publice profeſſus, eam toti Synodo ad examen porrigeret, qua bene perſpecta, dum ſincera & orthodoxa eſſet, judiciô Præſulum per Regni Primatem cenſuris abſolutus eſt, ea conditione, ut pro re mali exempli Romam ſibi propitiam redderet. *Nieſiecki Tom III.*

Diſplicuit ea Primatis ſententia Dziaduſcio, quare adduci non potuit, ut eam confirmaret; metuebat ille ne facilis venia tanti delicti pluribus aliis foret illicium & exemplum; cæterum ubi vidit Orzechovium pro Eccleſia, Religione Catholica ore & calamo contra errores decertare, judicium Præſulum approbavit, & cum Orzechovio verſatus eſt. Brevi, anno ſcilicet 1559 zeli pro fide, & dignitate Sacerdotali plenus Antiſtes in vivis eſſe deſiit: in ſua Baſilica Premisliæ ſepultus.

XXI.

PHILIPPUS PADNIEWSKI

POſt obitum Zebrzydovii Cracovienſis Antiſtes. *Vide L. I. p. 329.*

XXII.

VALENTINUS HERBURT

De Stemmate Herburt

Pomum eſt in rubro campo tribûs gladiis transfixum.

EX Familia in ſago & Toga optimè de Polonia merita oriundus. Joannis Caſtellani Sanocenſis Scriptoris rerum Poloniæ aliiſq; libris in lucem editis, præcipue antiquis legibus, Regum ſtatutis bono ordine collectis commendati Frater patruelis. Nicolai Palatini Ruſſiæ Patruus. De hoc ſcribit *Chwałkowſki.* Cùm junior contra Turcas fortiûs dimicaret, à Turca equo,

equo dejectus, dum in terram rueret, ab altero hastæ equo restitutus, ejus cursu veloci periculum evasit, ac suis incolumis & prælio redditus est.

Variis muniis cum laude gestis Premisliensis Antistes, à Sigismundo Augusto 1562. Legatus Tridentum pro Concilio, cùm XIV. Octobris [illegible] ejusdem urbi huic appropinquaret, plures Patres de mandato Synodi obvios habuit, qui pompam Valentini ingredientis Tridentum [illegible]: (b) præterea, majoris honoris causâ, eo [illegible] conventus Patrum intermissus est, datumq; tempus [illegible] hospitis. A Cardinale Hosio Concilii Præside exceptus die postera litteras Sigismundi [illegible] ad Concilium scriptas protulit: in responsione Synodo [illegible] Regi reverentia data est & grates actæ.

Patuit brevi [illegible] consiliis Viri prudentia: quare ad examinandos [illegible] Ordinis Ecclesiastici cum duodecem aliis Præsulibus, quorum ipse primus erat, designatus est. Quæ & quanta egit in hoc generali Ecclesiæ congressu, liquet ex epistola Hosii Cardinalis ad Andream Opalenski scripta: *Illi similes cuperem esse nos omnes*, scribit Hosius: *qui sumus ejusdem cum eo vocationis & ordinis; est enim Vir & pietate & doctrina præstans, & Tridenti ita se gessit, ut omnium judiciô valde probatus inde discederet.*

Rediit plenus gloriæ, & ut Tridenti, sic in Patria ardoris pro fide non unum dedit specimen. Familias aliquot dignitate & meritis in sua Diœcesi potentes, quia erroribus non aurem duntaxat sed & animum dederant, Diris devovit, in Comitiis quoq; Lublinensibus murum se opposuit pro domo Dei. Ad statuendum Premisliæ Societatis JESU Collegium invitaverat P. Magium Provincialem 1570. (c) sed Sophia de Odrowąziis Dux in Ostrog anno sequenti ut Jaro- slaviæ

(b) *Pallavicinus in Hist: Concilii Lib. XVIII: C. XIV.*
(c) *Sacchinus Hist: Soc: Par: III. L. VI.*

slaviæ fundaretur sua liberalitate obtinuit. *Religione impediri* ajebat illa *ne populum suum alienis postbaberet.* (d) Tantorum meritorum Præsul vivere & mereri desiit 1572. Fullstyni sepultus.

XXIII.

LUCAS KOSCIELECKI

AD regendam Diœcesim Posnaniensem assumptus est. *Vide L: II. p. 140.*

XXIV.

PETRUS V. DUNIN WOLSKI

AD Plocensem Sedem translatus. *Vid Lib: III. pag: 258.*

XXV.

ADALBERTUS I. STAROZRZEBSKI

De Stemmate Dolega

In campo cæruleo solea erecta, cruce desuper insignita est, cujus medium occupat sagitta ferrô deorsum inclinata.

ADalberti & Elisabethæ Łękowska Filius: in Polonia, demum Bononiæ ætatem & indolem optimis artibûs excoluit. Redux Archidiaconus Cracoviensis & Dobrinensis, brevi Præsul Chełmensis decimas mensæ Episcopalis cessit Capitulo. Unionem MD. Lithvaniæ, privilegium Sigismundi Augusti, quo Podlachia Volhynia Kiovia in Provinciam Regni Poloniæ redigebatur, cùm illas Lithvania usurparet, subscripsit 1569. *Vide Volum Leg: II.* Brevi Premisliensem Ecclesiam accepit gubernandam, quam ad præscriptas Concilii Tridentini leges moderari studuit. Obiit 1581 Varsaviæ conditus.

XXVI.

(d) *Sacchinus Par: III. Lib: VII.*

XXVI.

SIMEON ŁUGOWSKI

Agno pro Stemmate insignis.

PRæpositus Miechoviensis, tantum apud Canonicos loci illius meruit, ut hi Simeoni super bonis Jagodniki jus ad vitæ tempora recognoverint. Ad Premisliensem Sedem a Stephano Bathoreo promotus, sed expeditionem Romanam diplomatum fatis prævenit 1583. vitâ defunctus.

Juxta Nakielscium hic Simeon erat de Familia Szaniawsciorum, sed stemmate Nominis sui retento, Ługowski dici voluit in testimonium grati animi, quòd Ługowsciorum impensis ætatem excoluerit, & idoneam ad dignitates fecerit.

XXVII.

JOANNES VII. BORUKOWSKI

Agno pro Stemmate insignis.

CUm post obitum Padnievii Franciscus Krasinski Præpositus Plocensis Regni Procancellarius ad Cracoviensem Episcopatum promotus esset, hic Joannes dignus visus est, ut ei in Præpositura, & postmodum Joanni Zamoyski in officio Pro Cancellarii Regni succederet. Ex Comitiis ad lustranda bona Regalia in Masovia designatus, ea perfecit, quæ ab optimo Cive Respublica sperare poterat. Premisliensis Præsul inauguratus breve tempus regiminis optimi Antistis gestis superavit: cessit naturæ 1585. A Paproccio eam laudem meruit, *quod esset, ab omni avaritia alienus, in ea dignitate nulli molestus, oris & cordis cuilibet sinceri.*

XXVIII.

ADALBERTUS II. BARANOWSKI

Post

POst regimen Episcopatûs Premisliensis Plocensis, Vladislaviensis in Gnesnensi Archiepiscopatu supremum diem obiit. *Vid. L. I. p. 147*

XXIX.

LAURENTIUS GOSLICKI

AD Posnaniensem promotus Ecclesiam. *Vide L. II. pag: 141.*

XXX.

MATHIAS III PSTROKONSKI

IN Vladislaviensi Sede decessit. *Vide L. II. p. 64.*

XXXI.

STANISLAUS I. SIECINSKI

De Familia Biberszteinorum.

TAnto Antistiti, ut erat Pstrokonius, non impar virtute & meritô hic Stanislaus successit, primum Cracoviensis Canonicus Præpositus Pułtoviensis, demum hujus Diæcesis Præsul: primam adjecit curam, ut vota Herburti Prædecessoris sui in statuenda Premisliæ Societate JESU ad effectum deduceret. Anno 1610. Patres in societatem laboris evocavit, & in urbe Diæcesis suæ Principe locavit, gratiis & beneficiis fovit, ac 1617. probante Claudio Aquaviva Præposito Generali, Collegio erecto liberalem porrexit manum. (e) Et ut iidem Patres fixam stationem haberent Crosnæ author fuit Petro Bal Succamerario Sanocensi. Is olim hæresi innutritus cum venisset in Germaniam, contracta familiaritate cum PP. Gregorio de Valentia, & Jacobo Gretsero, eorum hortatu errores ejuraverat Ingolstadii: eo beneficio se maxime obstrictum Societati prædicabat sæpius, quare grati animi pensum exsolvens

(e) *Cordara Hist: S. J. Par: VI. L. II.*

vens, ſvaſione Stanislai fundum Croſnæ & dotem pro Collegio obtulit, quam poſtmodum Stanislaus Zaremba Judex Terreſtris Sandomirienſis in multis auxit, & templum erexit: quæ omnia Conſtitutio 1667 approbavit. Egit plura alia pro bono Diæceſis Stanislaus, & cùm nullô ſtudiô deeſſet gregi Paſtor optimus, laboribûs fractam ætatem depoſuit 1619.

XXXII.

JOANNES VIII. WĘZYK

POſnanienſis, demum Gneſnenſis Antiſtes. *Vide Lib: I. p. 156.*

XXXIII.

ACHATIUS GROCHOWSKI

POſt Lubienſcium Luceorienſis Præſul. *Vide L. III. pag: 374.*

XXXIV.

ADAMUS NOWODWORSKI.

AD Poſnanienſem promotus Sedem. *Vide Lib: II. pag: 149.*

XXXV.

HENRICUS FIRLEY

ET hic Anteceſſori ſuo in Poſnanienſi Sede ſucceſſit. *Vide L. II. p. 150.*

XXXVI.

ANDREAS IV. SZOŁDRSKI

TErtius hic interrupto ordine ex Premislienſi Epiſcopatu ad Poſnanienſem translatus eſt. *Vide Lib: II. pag: 151.*

XXXVII.

XXXVII.

PETRUS IV. GEMBICKI

CRacovienſi Epiſcopatui immortuus. *Vide L. I. pag: 362.*

XXXVIII.

ALEXANDER I. TRZEBINSKI

De Stemmate Jaſtrzembiec

In campo cæruleo ſolea cornibûs erecta crucem in medio continet: eminet ſtemmati accipiter alis ad volatum paratîs.

PRimam ætatem in Statu Equeſtri Patriæ conſecravit. Notarius Terreſtris Leopolienſis, brevi ejuſdem Terræ Succamerarius, ad Comitia Regni ſæpe Legatus, ad Tribunal Fiſcale Commiſſarius, ex Regni Comitiis 1633. ad tuendam diſciplinam militarem, jam ad conſtituendum rerum pretium: ſub tempus expeditionis bellicæ 1634. ad latus Ducum exercituum & ad perſolvenda militi ſtipendia deſignatus, muniis collatis dignum ſe probàvit, & quævis ad vota Patriæ felici eventu coronavit.

Ladislaus IV. ulturus injurias, & Smolenſcum obſidione ſoluturus, Moſchoviam armîs aggreſſus non tantum Smolenſcum liberum fecit, ſed vaſtatîs ditionibûs, ipſam Moſcuam, Cari Sedem metu replevit. In eo rerum ſtatu ulteriorem victoriam Ladislai remoraturi Turcæ juncti Tartaris, in numero plusquam XLV millium inhiabant Cameneco & Podoliæ, fineſq; prægreſſi depopulabantur Provinciam; ſed à Koniecpolſcio Duce cæſi contumeliam reduces in lucro habuêre. Ladislaus Moſcho lege ſcripta contra Portam Ottomanicam parabat exercitum: priùs tamen temeritatem incuſans, hunc Alexandrum Legatum præmiſit. Ivit ille, & plurimîs inſidiîs per Abaſium Baſſam ſtru-

ſtru-

ſtructis, in itinere ſuperatis, pervenit feliciter Conſtantinopolim, ſed in majora longe pericula incidit. *Vaſſembergius in Hiſtoria Ladislai IV.*

Abaſius ille plurimis apud Amurathem IV. (hic Imperio Ottomanico tum præerat) Legatum Poloniæ inſimulavit, ſuoq; Imperatori perſvaſit, ut in præſentia belli Officialium cum ſolo Trzebinio (quod inauditum apud Turcas) ageret; eo modo, inquiebat Abaſius, facilius Nuncium Polonum majeſtate Turcica territum ad quævis propoſita fore diſpoſitum. Placuit Amurathi conſilium. Trzebinius poſt adventum ſuum Conſtantinopolim, brevi in conſpectum Soltani cum admiſſus eſſet, Amurathes vultu ad terrorem compoſito. *Qua de cauſa veniret?* exorſus eſt. Cui Legatus de injuriis facta mentione *ſe à recens inaugurato Rege ad novum Imperatorem de more priſco ad amicam vicinitatem intimandam, & olim inita fœdera confirmanda veniſſe* reſpondit. Ad mentionem fœderum efferbuit Soltanus: & *hic non de pactis & fœderibus, confirmandis, ſed graviſſimo bello agendum eſſe, nec inter ſe & Poloniæ Regnum amicitiam aut vicinitatem ullam perennare poſſe, niſi annuô aliquo tributô ſe ſuperiorem agnoſceret, propugnacula finitima dirueret, & inſuper magni Machometis dogmata amplecteretur, eligeret itaq; an hæc tria, an bellum mallet*, dixit.

Tam arroganti ſermone minime territus Alexander, innata libertate reſpondit: *Tributi, demolitionis munitionum & mutandæ Religionis petitionem Polonis in ſumma libertate viventibus vel ſolo auditu intolerabilem eſſe præſertim quamdiu adhuc dexteræ frameis ſuis ſufficerent.* Excanduit ad hæc Amurathes, & manu acinacem percutiens, *Ergo Legate* ait *ignoras me tantum Monarcham eſſe, cujus gladium univerſæ terrarum nationes pertimeſcunt? Scio* ſubjecit Trzebinſcius: *ſed novi me à pari etiam Monarcha venire.* Tum ferocior Soltanus *Itaq; exercitu innumerabili ingrediar Poloniæ Regnum* exclamat *gladium vibrabo, & manu, ferrô, flammâ ad extremam ejus ruinam graſſabor. In tua manu eſt* ait Legatus *bellum ſumere, ſed non vincere; ſtringet & Ladislaus victoriis glorioſum ferrum, occurret Monarcha Monarchæ, vires viribus opponentur, & multo noſtra meliore causâ, de qua jam & fortuna nuper in Valachia ad Chotimum judicavit. Si tu primus aciem explicabis, ſcito ultimos ex campo Polonos diſceſſuros.*

Non Amurathes duntaxat, ſed & belli Miniſtri fremuere ad ignominioſam ſuorum Chotimenſem cladem, præcipue quòd ſuus Imperator Nuncio Polono vileſceret. Et licet Soltanus fureret; libertate tamen dicti delectari viſus eſt, dum ad ſuos converſus *tales deberetis eſſe Miniſtri* inquiens, eosdem ſimilis conſtantiæ & animi admonuit: nihilominus Abaſium in Podoliam expedivit: ſed hunc Koniecpolſcius Supremus Dux, olim Zolkievianæ cladis ſocius *Vide hic C. VI.* denuo ad extrema redegit. Ladislaus quoq; Rex victorem exercitum in Turcam promovebat eo fere tempore, quo à Comitiis Legatus Turcicus litteris ad Imperatorem ſuum arma ſpirantibus à Republica inſtructus Conſtantinopolim remearet. Famâ Ladislai advenientis Amurathes territus in locum Abaſii Murtaſium Baſſam ſubſtituit, & ut pacis conditiones iniret, ſubjunxit: quæ in hæc capita coaluêre. *Ut tributum nullo unquam tempore à Polonis Turcæ petere præſumerent. Tartaros, qui Cantimiro Duce in Bialogrodenſibus campis domicilia ſua fixerunt, ex illis tollerent, renuentes etiam armis delerent. Oppidorum arcium Polonicarum ad Tyram demolitionem nunquam poſtularent. Arces ad Poloniæ & Hungariæ fines præſidiis ſuis Turcæ non munirent. Valachiæ & Tranſylvaniæ Palatinos Turcarum Imperator non amoveret: & eum Valachiæ faceret, quem Poloniæ Rex & vellet, & commendaret.* Vaſſembergius Par: II. L. II.

Eum finem habuit ambitioſus in Trzebinium furor Amurathis. Approbavit ille conditiones pacis, & ut magis Ladislao placeret, Abaſium Baſſam belli authorem ſuffocari fecit. Longiorem adhuc moram tra-

 here

here debuit Alexander Constantinopoli, ut negotia ad optatum exitum deduceret, ubiq; locorum à Ministris aulæ exoticæ in pretio habitus. Relaxandi animi causâ Amurathes ad palatium extra urbem situm parabat iter, pompæ hujus spectatorem Alexandrum voluit. Ibat ille eques fastu non tam ad majestatem, quàm ad luxum composito: præter Janizeros, superbam præcedebant pompam equitum ultra centum millia, longe major numerus claudebat agmen. Sæpius hic Imperator eo utebatur apparatu, ad jactandam coram exteris suam potentiam. *Starowolski in Descript: Aulæ Turcicæ.*

Rebûs tandem feliciter peractis plenus gloriæ in Patriam rediit Alexander. Senatoriam purpuram parabat Viri meritis Ladislaus, sed post obitum gemini filii & Consortis Sophiæ Ozdzanka Venatoris Leopoliensis Filiæ Sacro Ordini nomen & animum adjecit. Vacabat tum Referendarii Regni officium, illud Alexandro Rex detulit, & Abbatiam Andrejoviensem in administrationem superaddidit, brevi post ascensum Gembiccii eundem ad Premisliensem Ecclesiam Urbano VIII. commendavit, in Polonia verò mentis suæ interpretem, Pro Cancellarium fecit. Nominationem Regiam facile confirmavit Roma. Diæcesis integra læta fuit eo Præsule, sed quem votis expetierat, fatis intercedentibûs brevi amisit: altero Episcopatûs anno Obiit 1644. Illius elogium brevi calamô Potocki complexus est. *Trzebinium sæpe requiret ætas nostra, posteritas æquabit rarò.*

Naramowski in Facie Rerum Sarmaticarum L. II. C XIII. scribit hunc Trzebinium in Sede Premisliensi Trzebiccio successisse, sed, quòd Trzebiccium longe præcesserit, ex Constitutionibus Regni patet. Anno enim 1643. Trzebinski Episcopus Premisliensis Pro Cancellaribus Regni ex Comitiis Reipublicæ ad pretia rerum designatus erat. *Volum Leg. V.* Porro anno 1648. circa confirmationem generalem Jurium per

per Joannem Casimirum factam inter præsentes Andreas Trzebicki Scholasticus Plocensis, Gnesnensis Cracoviensis Canonicus annotatus est. *Idem Legum Volumen fol: 263.*

XXXIX.

PAULUS PIASECKI

De Stemmate Janina vide p. 4.

SEbastiani & Catharinæ Gromadzka Filius: dignitates, quibûs eminuit, indoli eruditæ debuit. In Academia Cracoviensi ætatem excoluit Doctor utriusq; juris, brevi Archidiaconus Varsaviensis, Mogilnensis Abbas, Camenecensis, Chełmensis, Premisliensis Præsul promovente Virum scientiâ inauguratus est. Editis operibûs orbi, inclaruit Poloniæ præcipue historiâ, in qua præcipuos aliorum Regnorum eventus complexus est. Scripsit Praxim Episcopalem frequentibus typis illo adhuc vivente editam: opus labore magno concinnatum, rerum notitiâ, quæ ad officium Episcopi pertinent, commendatum. Labori erudito anno ætatis suæ 66. à partu Virginis 1649. immortuus, relictâ sui in Diæcesibus, quas rexit, memoriâ, in libris famâ & nominis gloriâ.

XL.

JOANNES IX. ZAMOYSKI

EX Premisliensi Luceoriensis Antistes. *Vide L. III pag: 385.*

XLI.

ANDREAS V. TRZEBICKI

AD Cracoviensem promotus Cathedram. *Vide Lib: I. pag: 365.*

XLII.

XLII.

STANISLAUS III. SARNOWSKI

JOanni Gembicki in Sede Vladislavienſi ſucceſſit. *Vide L. II. p. 81.*

XLIII.

JOANNES X. ZBÆSKI

POſt aſcenſum Radzieiowſcii ad Gneſnenſem Metropolim Varmienſis Epiſcopus. *Vide Lib. III. pag: 353:*

XLIV.

GEORGIUS DONHOFF

POſt obitum Dąbſcii Cracovienſis Præſul. *Vide Lib: I. p. 374.*

XLV.

JOANNES XI. BOKUM

PRemislienſem Cathedram cum Culmenſi commutavit. *Vide hic Cap: III.*

XLVI.

CHRISTOPHORUS SZEMBEK

PRomovente Auguſto II. Varmienſis Præſul. *Vide L. III. p. 360.*

XLVII.

ALEXANDER II FREDRO

De Stemmate Boncza

Monoceros eſt in campo cæruleo, primis pedibus erectus.

FAmilia virtutibus heroicis, glorioſis pro Patria geſtis, eruditione, in Andrea Maximiliano Palatino Podoliæ celebris, hunc Alexandrum Patre Stanislao Caſtel-

Caſtellano Czerniechoviæ, Matre Catharina Bełzecka Palatini Podoliæ Filia Orbi dedit. Optimam indolem, optimis ſcientiis & moribûs excultam cùm Sacris adjeciſſet, Gneſnenſis Cuſtos Regni Secretarius, tum Chełmenſis Antiſtes, Diæceſi luſtrata Cathedralem Eccleſiam, quam ſuus Anteceſſor Szembek comptiorem fecerat, turri adornavit, variiſq; donis cumulavit. Tandem in Premislienſi Sede eidem Chriſtophoro ſucceſſit.

In decorem hujus Diæceſis non Epiſcopales duntaxat proventus, ſed ampliſſimas etiam facultates impendit. Cathedralis Eccleſia multorum Præſulum beneficiis dotata ſuam majeſtatem ſuum ornatum debet liberalitati Alexandri, in quam ultra ducenta millia numeravit. Jaroslaviæ ædem ſacram Patrum S. J. effigie doloroſæ Virginis claram ære texit. Staroviesiæ ad Brzozovum PP. S. Pauli Eremitæ introduxit, Templi fabricam liberali promovit manu. Seminaria Clericorum Premisliæ & Samboriæ ejus beneficentiæ monumenta ſunt. Secretas veró eleemoſynas, dotes egenis Virginibus numeratas, in noſocomiis ſubſidia quis digne efferat? Vixit in omnes munificus, opes in membra Chriſti elocavit, ut Deum debitorem haberet. Obiit ſupremum diem univerſæ Diæceſis luctu 1734. Premisliæ in Principe Baſilica ſepultus, pompam funebrem adornantibûs Auguſtino Weſſel Cameneceuſi Epiſcopo, Hieronimo Uſtrzycki Premislienſi ritûs Græci Præſule, Samuele Głowinski Leopolienſi, Joſepho Czarnecki Kiovienſi Suffraganeis.

XLVIII.

VALENTINUS CZAPSKI

AD Vladislavienſem Sedem translatus eſt. *Vide Lib: II. p. 84.*

XLIX.

VENCESLAUS SIERAKOWSKI

IN Leopolienſi Metropoli Lubienſcio ſucceſſit. *Vide Lib: I. pag: 237.*

L.

MICHAEL WODZICKI

De Stemmate Leliwa.

Luna eſt dimidia in campo cæruleo, utroq; cornu erecta, in medio ſtellam continens.

LAurentiô Pocillatore Varſavienſi, Annâ de nobiliſſima Gratarum Familia, Vincentio Santio Trapezuntino Archipræſuli, Sedis Apoſtolicæ in Polonia Nuncio ſangvine junctâ, natus 1687. die III. Octobris. Optimorum Parentum curâ omni probitate inſtructus aptam litteris ætatem in ſcholis Torunenſibus S. J. ulteriorem ſeverioribûs ſcientiis Romæ in eorundem Patrum Collegio, quod ab urbe nomen habet, excoluit, probatæq; virtutis ac eruditionis reliquit monumentum. Et ne ſoli Italiæ quæſitæ magnô ſtudiô mentis opes manifeſtæ eſſent, Pariſios properavit: ſpectavit hoſpitem Urbis hujus & Academiarum Princeps Sorbona, rerumq; uſu, ac ſcientiarum abundantiâ affatim cumulatum ſuſpexit, & amavit.

Reducem ab exteris lætô animô accepit Patria, & ſacer Canonicorum Cracovienſium cætus ab anno 1713 magnum Collegii ſui decus in ſpem Infularum fovit. Proxime Caſimirus Lubienius, nunquam ſatis laudatus Cracovienſis Præſul & Dux Severiæ Synodum Diæceſanam convocaverat: illius acta, & ſancita ut Sedes Apoſtolica probaret, Romam Michaëlem Legatum expedivit: rem ſui Principis, totiuſq; Diæceſis egit optimè, & vota Caſimiri abunde explevit. Efficacem Viri dexteritatem, in perficiendis negotiis fortunatam celeritatem Cracovienſes Antiſtites Szaniavius, & Lipſcius gratâ ſemper memoriâ colendus S. R. E. Cardinalis in variis approbârunt muneribus; jam in ſacris Tribunalibus, quibus Vicarius in ſpiritualibus ultra annos bis denos præfuit: jam in generalibus Regni judiciis, ad quæ repetitis vicibûs cunctorum ſuffragiô electus ivit Judex, ſacerrimiſq; ſancitis pro legum integritate, pro indemnitate partium litigantium decidit: jam in Decani Cracovienſis officio annis pluribûs gloriosè obito: jam per Romanam deciſionem in Judice delegato ad examen vitæ & miraculorum B. Joannis Cantii Sanctorum faſtis inſcribendo. Eam in agendo prudentiam, in muniis obitis glorioſam operam adorabat Canonicorum Collegium, quare ab obitu Conſtantini Szaniawski & Joannis Lipski, Præſulum, ut grave toti Diæceſi Cracovienſi leniret fatum, Michaëlem votis ſuis inſtituit Sedis vacantis Adminiſtratorem, cujus virtute in tam ſiniſtra ſorte ad proſperrima quæquæ regeretur.

Merita Viri minimè latere poterant Sereniſſimum Auguſtum III. feliciter regnantem, idcirco, poſt aſcenſum Joannis Comitis Małachowski ad munus Supremi in Regno Cancellarii, minus Regni ſigillum Michaëli detulit, & ſtrenuum ac fidum per annos plures in rebus difficillimis Miniſtrum expertus eſt. Demum, ut Infulatum Patrem veneraretur Polona Eccleſia, ad Premislienſem Sedem ſua nominatione promovit, quam Clemens XIII. probavit. Pietate in cælites obſequiis in Religionem & Patriam, benevolentiâ in Clerum, in Religioſas familias amore, in egenos liberalitate, humanitate in omnes, implebit faſtos, præſentibus exemplum, poſteris deſiderium, Præſul Pro Cancellarius.

CAPUT SECUNDUM.

De Episcopatu Samogitiæ.

EPiscopatui Samogitiæ Provincia nomen dedit, ipsa suum à Samo Viduviti filio sortita. *Hist: Prus: L. I.* Naramowski in Facie Rerum Sarmaticarum scribit *L. I. C. VIII.* Samogitiæ nomen à Saymone Fratre Lithvonis primi Ducis Lithvaniæ ditioni huic fuisse inditum. Juris illa erat Lithvaniæ, sed alterna fortunæ vicissitudine nunc huic, nunc Crucigeris parebat. *Vide Dlugossium Cromerum.*

Ladislaus Jagello Lithvaniam studiô suô Christo lucratus, ad convertendam Samogitiam adjecit animum: & extinctis sacris illi populo ignibûs, lucis excisis, serpentibûs interfectis, quos superstitiosa adorabat Provincia, fecit Christianam, utq; in suscepta Religione constantem redderet, Episcopatum Medniciis fundavit, quem 1416. Concilium Constantiense sua probavit authoritate ad postulata Ladislai, severeq; incursiones Crucigeris in Samogitiam inhibuit. Anno verò 1417. ab eadem Synodo & Martino V. designati Joannes Rzeszowski Leopoliensis Archiepiscopus, Petrus Vilnensis Præsul Ecclesiam Cathedralem Medniciis sub titulo SS. Alexandri Evantii & Theoduli MM dedicârunt, primumq Antistitem Mathiam Germanum Vilnæ natum novæ præfecerunt Sedi. Eam Ladislai liberalitatem, & fidei ardorem multis dilaudavit postmodum Martinus V. *(a)* Dotem Ecclesiæ hujus Alexander quoq; Vitoldus Dux Lithvaniæ suô privilegiô confirmavit. Præsules hi primùm dicebantur Mednicenses, sed postea cum consensu Romano à Provincia Samogitiæ nomenclationem sortiti sunt.

Fundavit præterea idem Ladislaus in singulis duodecem

(a) Dlugossius Lib: XI.

decem Samogitiæ districtibus duodenas parochiales Ecclesias, quarum Rectores ut essent Canonici hujus Episcopatûs, disposuit. *(b)* Latitudo Diæcesis est ipsa Samogitia, quæ Regio satis ampla est. Capituli insigne idem est cum Vilnensi, videlicet tres coronæ.

(b) Idem ibidem.

ORDO & VITÆ

EPISCOPORUM SAMOGITIÆ

I.

MATHIAS I.

PArentibûs Germanis Vilnæ natus, scientiis apprime excultus, dignitate Vilnensis Præpositus, cùm lingvas Lithvanicam & Samogitiæ optime calleret, dignus & idoneus visus est, qui recens ad fidem accedentes Samogitas instrueret; quare primus huic Sedi præpositus est. Coluit Provinciam strenue, lustravit integram, & tum doctrinâ, tum vitæ exemplô Christo adjunxit. Anno 1421. ad Vilnensem Ecclesiam translatus. *Vide L. II. p. 172.*

II.

NICOLAUS I. POLONUS

MAthiæ ad Vilnensem Sedem translato successit Præsul in excolendo grege felix: nullum mensæ suæ convivam admisit, nisi qui in Ecclesia devotus comparuisset. Annum fatorum illius siluit antiquitas.

III

MARTINUS I. de LUKNIKI

QUi optimè rexit suam paræciam, idoneus visus est, ut totam Diæcesim gubernaret Præsul. Sed omnium desideria immaturo prævenit fatô, anni non inte-

integri Antistes brevem præfecturam magnis virtutibûs compensavit.

IV.

JACOBUS LITHVANUS

RAudonas dictus à nimia rubedine, quam ut scribit Naramowski *L. II. C. XIV.* frequens poculorum usus causaverat. Quid egerit? quo anno obierit? illius temporis ætas prætermisit.

V.

BARTHOLOMÆUS I.

GEnere Mazovita, Patriâ Pułtoviensis: ab aliis oris Pastor alienum à se gregem expertus est; frequentes animi perturbationes, dum modestiæ limites quandoq; transcederent, odiosum fecerunt populo, qui vice quadam eo furore abreptus est, ut nisi Præsul profectus Kieydanos, periculum evasisset, victima plebis iratæ cecidisset.

VI.

GEORGIUS I. LITHVANUS

VIlnâ oriundus. Furentem in Antecessorem suum populum morum modestiâ delinivit, obedientemq; in omnibus expertus est: reliquitq; posteris exemplum, amore & benevolentiâ in suo officio contineri subditos. Ex Archidiacono Vilnensi Antistes, Vornensem Ecclesiam erexit. Dum Vilnam pergeret in itinere obiit die XXV. Februarii 1464.

VII.

MATHIAS II. de TOPOLIA

De Stemmate Pœwała seu Ogonczyk

In campo rubro dimidius est annulus mediâ sagitta acumine erecto desuper insignitus.

Polo-

POlonus natione, Patria Lanciciensis (c) ex Archidiacono Vilnensi annorum septem Samogitiæ Antistes, juxta Cromerum obiit 1471.

VIII.

BARTHOLOMÆUS II.

NAtione Lithvanus musicæ cantui magis quàm decuit Episcopum, addictus. *Naramowski L. II. C. XIV.*

IX.

MARTINUS II. SAMOGITA

EX Parocho Szavlensi Antistes, Epistolam Procerum Lithvaniæ 1499. subscripsit.

X.

MARTINUS III,

ORigine Germanus, natione Lithvanus, peregrinatione Italus: ubi ultra triginta annos versatus, in variis Academiis operam dedit juri addiscendo, eamq; legum & sacrorum canonum quæsivit peritiam, ut sua ætate parem vix habuerit. Rediit in Patriam, & ad vacantem Samogitiæ Sedem promotus est. Curavit Diæcesim conformem legibus Ecclesiasticis, ac sanctam & in omni probitate cultam fecit. Factum temporum injuriâ ut acta & obitum hujus Antistitis antiquitas prætermiserit.

XI.

NICOLAUS II. RADZIWIŁ

Tubîs pro Stemmate insignis.

NIcolai Palatini Vilnensis, Cancellarii MDL. primi in Goniądz & Medele Ducis, S.R.J. Principis Filius. Ducalem mitram in Pontificiam Tiaram commutavit Præsul Samogitiæ. Bona sua hæreditaria Knyszyn cum

(c) *Dlugossius Lib: XIII.*

cum integro eorundem tractu Sigismundo I. donavit. Parasitorum impulsu simultatibus cum Capitulo & Samogitiæ Præfecto decertavit.

XII.

NICOLAUS III. WIZGAIŁO

EX Vilnensi Præposito in Episcopatu successit Radzivilio Vir à probitate commendatus, à consiliis, quibûs fortunatam fecit Patriam, publico omnium ore dictus Patriæ zelator. Dissensiones, quas suus Antecessor moverat, rei æquitate composuit. Gesta sua immortali transcripsit famæ.

XIII.

GEORGIUS II. TALAT

HUic dignitatem Præsuleam præcox invidit fatum; antequam Sedem suam ascendisset, descendit ad tumulum.

XIV.

VENCESLAUS WIERZBICKI

De Stemmate Radwan

Vexillum est tripartitum ad formam Ecclesiastici desuper cruce insignitum

STrenuâ rei oeconomicæ curâ facultates Ecclesiæ ad perfectum deduxit statum, easq; auxit. Multum ærarium collegerat in pios usus expendendum; sed quia intentiones suas differebat, immatura morte sublatus 1555. reliquit opes à variis postmodum direptas: docuitq; suô exemplô, rarò aut nusquam ab aliis adimpleri, quæ ipsi viventes negligimus.

Ejus temporibûs Sigismundus Augustus mortua Conjuge Elisabetha Ferdinandi I. Regis Romanorum Filia, Barbaram Radzivilliam Georgii Castellani Vilnensis Filiam, Stanislai Gastoldi Palatini Trocensis relictam consortem viduam clam in Lithvania in præsentia affinium prædictæ Barbaræ duxerat in vitæ sociam. Post obitum Sigismundi Patris, quo adhuc superstite in Regem inauguratus fuerat, venit Cracoviam, & ut Barbara Consors sua Regiis adornaretur insignibûs, egit multis apud Senatores; sed hi coronationi ejus contrarii, eam ut potius tanquam imparem Rex dimitteret, svadebant: idem Comitiorum Legati postulabant. Verùm Augustus in pleno Senatu: *non sibi vitam chariorem, quam Rempublicam* respondit: *sed cum vobis Respublica* inquiebat: *fide mea sit salva; quonam modo ea fides firma nobis erit? si uxori jussu vestro fidem fregero? Non est, quòd me vobis fidelem speretis Regem, si vir uxori fuero infidelis. Quapropter cùm legitimum mibi sit cum uxore connubium, vitam priùs quàm uxorem deseram* Orzechowski Annal: II. Magno motu, ut idem describit, ea res tractata est; tandem Barbara assentiente Senatu, probante etiam Regina Bona Augusti matre, ut legitima Sigismundi Consors Cracoviæ coronata est 1550. sed sexto à coronatione mense mortua.

XV.

JOANNES I. DOMANIEWSKI

De Stemmate Lubicz

Sola est in campo cæruleo erecta, cruce desuper & in medio insignita.

EX Canonico Vilnensi à Sigismundo Augusto ad hanc Sedem evectus; sed quòd Polonus esset, non admittebatur, leges suas Lithvanis fortiter tuentibûs. Verùm eorum conatus Rex, & indoles Domanievii vicit. Affabilitas, benevolentia adeò Virum amabilem fecit universis, ut postmodum ab illo pendere viderentur; quare facilè perfecit omnia, quæ intendebat. Canonicorum Collegium ne exleges pateretur, legem sanxit, Ecclesiarum Rectores ut exemplo essent, statu-

tis paræcias circumscripsit. Fecit plura pro bono Diæcesis, quo anno ipse egit animam, siluit vetustas.

XVI.

STANISLAUS I. NARKUSTIS

ET acta illius, & annum obitûs antiquitas prætermisit, sed cum tacuit, nihil ad censuram reliquit.

XVII.

VICTORINUS WIERZBICKI

IN Luceoriensi Sede supremum diem obiit. *Vide Lib: III. pag: 371.*

XVIII.

GEORGIUS III. PIĘTKIEWICZ

De Stemmate Pomian

Caput est bisontis gladiô à fronte per nares transfixum.

LAte grassans Lutheri error in finitimam Prussiæ Samogitiam cùm penetrâsset, adeò pervertit mentes hominum, ut vacuæ fuerint populô & Rectoribûs Ecclesiæ, cunctis hæresim & licentiam sequentibûs: neglecta sacra, ritus jocis & cachinis explosi, templorum opes direptæ. Tam afflictoDiæcesis statui indoluit Georgius, & ut subveniret, juxta Concilii Tridentini sancita Seminarium Diæcesanum erexit. Scribit quidem Piasecki, Georgium hunc favisse hæreticis, sed Koiałowicz ab hac nota illum vindicat. Obiit Georgius 1574.

XIX.

MELCHIOR I. GEDROYC.

Poraita.

DUcum Lithvaniæ sangvis, Marescalci MDL. Filius. Custos Vilnensis: ad Samogitiæ Sedem à Dynastis Lithvaniæ Henrico Valesio commendatus. Ambiebat equidem Episcopatum hunc Jacobus Woroniecki Gieranoviensis Præpositus, fretus litteris unius ex Legatis in Galliam pro Valesio, sed promotionem Procerum, nominationem Regiam probavit Roma. In Præsulem institutus septem duntaxat Sacerdotes reperit, hæreticos verò plurimos; quare primam adjecit curam, ut suus Religioni rediret decor: probos & omnis erroris expertes convocavit, paræciis lupis ejectis substituit; ut illorum vigili solicitudine & operâ populus formaretur in fide & sacris obeundis. Præivit ipse verbô & exemplô: obibat Diæcesim, rudi populo mysteria fidei exponebat, cultioribus, quos eruditio magis sagaces reddiderat, solvebat dubia ac difficultates: Admirationi erat, magnis natalibus juncta Viri humilitas, commoditatum contemptus. Spectabant in nosocomiis, ergastulis, abjectis obsequiis, quæ viles persæpe horrent animæ, frequentem Præsulem, in Ecclesia, in doctrina Christiana, in sacro tribunali assiduum, pauperum convivam, egenorum Patrem & tutorem. Hæc omnia cunctis erant illicium; reverebantur monentem, docentem sequebantur. Et favit cælum piis conatibus; hæreticam accepit, Catholicam fecit Samogitiam. Ad Vilnenses promovebatur Infulas, sed quia plus operæ habuit Samogitia, labores honori prætulit. Hæc Pastoralis officii studia lætô animô audiit & excepit Gregorius XIII. magnisq; laudibûs prosecutus est: & cùm Stephano Regi gladium benedictum transmitteret, hoc Romani Antistitis donum, ut Melchior nomine Supremæ Sedis offerret, determinavit.

Et, qui rem Christi curavit strenuê, Patriam non neglexit; noverat se Episcopum, sed fidum quoq; Civem ac Senatorem Poloniæ. Illius consiliô publica tractabantur negotia, absentis etiam requirebatur sententia,

tia, & sensu tanti Viri concludebantur singula. Per legem Regni 1591. ad decidendam litem inter Thesaurarium & militiam Lithvanam: 1598. ad definiendos limites Districtûs Bracłaviensis cum Curlandia, 1601. ad eosdem constituendos inter prædictum Districtum & Samogitiam designatus muneri & Patriæ satisfecit. Deniq; Præsul hic nihil egit, nisi rem Patriæ & Ecclesiæ. In excolenda Diæcesi adhibebat operam Patrum S. J. eorum ubiq; Tutor, & Vilnensis Collegii Patronus munificus. Anno 1609. cælum petiit, quod vivens meruit.

Post obitum, sepulchrum ejus visum est nocte intempesta sæpiùs collucere fulgore insolito: inter calamitosa tempora Vornensem Ecclesiam, ubi quiescit, palliô protegens apparuit. Nec satis habuit pro Polonia Patronum in cælis agere, in terris Deo pro illa supplex fuit; cùm Pontificali ornatus veste, ac si horas matutinas celebraturus, ad altare accedere conspectus est. *Naramowski L. II. C. XIV.*

XX.

NICOLAUS IV. PAC

De Stemmate Gozdawa

Lilium est album in campo coloris rubri.

PAuli Castellani Vilnensis & Reginæ Wołowiczowna Filius. Optimorum Parentum curâ in Academia Vilnensi litteris instructus, Suffraganeus Vildensis, illius loci S. J. Collegio amplam Bibliothecam obtulit, ejusq; dotem liberali manu ampliorem fecit. Samogitiæ Præsul ad perficiendos fines Samogitiæ cum Curlandia & Ducali Prussia per constitutionem Regni 1613. designatus, rem egit Patriæ. Ecclesiam Regni 1613. designatus, rem egit Patriæ. Ecclesiam Samogitiæ patrimonii sui hæredem scripsit. Dum Romam ad visitanda Apostolorum limina properaret, Patavii plenus meritorum 1619. æternitatem adiit. Meminit

minit illius *Iulius Cordara in Hist. S. J. Par: VI. L. I.*

Illo Diæcesim hanc moderante 1618. Vir non ignobilis in finibus Samogitiæ dum mensæ sole cadente assideret, lucidissima Salvatoris effigies eidem in mensa apparuit. Attonitus hospitis Dei majestate, veneratione magna excepit advenam: pedibus illius dum parabat osculum, quia nec cor, nec os ab hæresi purgaverat, tangi se non permisit Salvator; sed per mensam ut erat longa, recedens, in ejus termino visioni finem fecit. Duravit spectaculum per justum temporis spatium duobûs spectantibûs & mirantibûs, animosq; eorum ad ejurandam hæresim induxit. *Naramowski L. I. C. XXVII.*

XXI.

STANISLAUS II. KISZKA

De Stemmate Dabrowá

In campo cæruleo solea est alba erecta, cruce aurea desuper & in lateribus signata.

STanislai Mscisłaviensis Palatini & Elisabethæ Sapieżanka Filiæ Castellani Kioviensis Filius. Opum & gloriæ Prædecessorum Successor & hæres. Duxerat in vitæ sociam Sophiam Constantiam Zienowiczowna Palatini Brestianensis Filiam, sed brevi post dissolutum hocce matrimonium, Ecclesiasticum statum elegit, Smolenscenses Palatinas curules aliis relinquens. Et quia in Ordine civili maxima merebatur, Vilnensis Scholasticus, Præpositus Gieranoviensis, MDL. Referendarius favore Regio, à Nicolao verò Pac Coadjutor Samogitiæ factus est, illi defuncto jure pleno Episcopus successit. Adhuc Pater ejus Stanislaus Palatinus Mscisłaviensis erat superstes, cùm surdus & mutus à natura factus esset, solo nominis intuitu eam dignitatem assecutus. Hoc naturæ vitiô erat pejus, quod ab hæresi in successione susceperat. Allaboravit Filius, &

Patrem Ecclesiæ lucratus est. Palatinum secuti plures alii. Hucusq; Samogitiæ Episcopatus caruerat Præsulei laboris socio, illum ut ipse & Successores sui haberent, apud Romanam Sedem impetravit, & ex proprio patrimonio Suffraganeo Samogitiæ dotem perpetuis tabulis inscripsit: Octavo præfecturæ annô moderari & vivere desiit. 1626.

XXII.

ABRAHAMUS WOYNA

EUstachio Wołowicz successit in Vilnensi Sede. *Vide L. II. p. 189.*

XXIII.

MELCHIOR II. ELIASZEWICZ

De Familia Gedygoldorum

ADhuc Crosiensis Ecclesiæ Præpositus designatus erat ad litem componendam inter Ecclesiasticum & civilem statum: in præmium obiti muneris Vilnensis Archidiaconus, MDL. Referendarius inauguratus est: & brevi Præsul Samogitiæ. Illius Ecclesiam adornare vitæ probitate non satis habuit, eam emptis possessionibûs ampliorem fecit. Electionem Ladislai IV. subscripsit: ipse pro meritorum suorum corona 1633. è vivis abiit immaturô fatô rebus Ecclesiæ subtractus.

XXIV.

GEORGIUS IV. TYSZKIEWICZ

IN Vilnensi Sede diem supremum obiit. *Vide L. II. pag: 190.*

XXV.

PETRUS PARCZEWSKI

De Stemmate Fascia

In

IN Academia Vilnensi meruit Doctoris lauream. Infulatus primùm Præpositus Starodubovienfis, deinde per annos plures Episcopatûs Smolenscensis recens erecti Administrator, tandem 1638. à Ladislao IV. nominatus, probante Urbanô VIII. ejusdem Episcopatûs primus Præsul, à Joanne Pamphilo S. R. E. Cardinale, brevi sub nomine Innocentii X. Summo Pontifice consecratus optimi Antistitis munus adimplevit. Anno demum 1650. ad regimen Samogitiæ assumptus ultimum diem obiit 1659.

XXVI.

ALEXANDER I. SAPIEHA

QUia meritis Viri majora debebantur, Vilnensem accepit Tiaram. *Vide L. II. p. 194.*

XXVII.

CASIMIRUS PAC

De Stemmate Gozdawá vide p. 34.

PEtro Palatino Trocensi & Elisabetha Szemiotowna Castellani Smolenscensis Filia genitus. Vilnensis Canonicus cum Fratre suo Hieronimo captivus à Moschis abductus, longiùs squalorem carceris sustinuit. Fratre his incommodis sublato rediit in Patriam 1662 & Vilnensis ac Gieranoviensis Præpositus, brevi Smolenscensis, tandem Samogitiæ Præsul factus est. In difficillimis negotiis magno Patriæ fuit auxilio; per Constitutiones Regni jam ad exsolvenda militi stipendia, ad Tribunal Fisci MDL. jam ad decisionem jurium Episcopatûs Curonensis Commissarius.

Nec ita se obsequiis Patriæ immolavit, ut suæ Diœcesis non esset studiosus: eam juxta præscripta Sacrorum Canonum gubernavit: rigorem, si qui in devios extendendus erat, paterna lenivit mansvetudine. Szydłoviæ Calvini Ministri cum suis erroribus altas radi-

ces fixêre in Christi Crucifixi effigiem contumeliosi, malum hoc, ne esset offensioni & scandalo, cum suis propagatoribus locô exesse jussit. Cum Fratre suo Palatino Vilnensi Duce exercituum Antocoli Canonicos Regulares D. Augustini fundavit. Principem Diæcesis Ecclesiam propriis impensis erexit, anno 1692. Præsul longiore ætate dignus immortalem gloriam adeptus est.

XXVIII.

JOANNES II. KRYSZPIN

De Stemmate Kryszpin

Scuti coloris rubri occupat medium truncus quercûs cum geminis à parte dextra stipitibus resectis, tribus à parte sinistra cui supremo leo innititur erectus, à parte verò dextra geminum cervi caput, unum infra aliud expressum est.

HIeronymi Supremi Lithvaniæ Thesaurarii & Annæ Młocka Filius. Post finita cum laude in Vilnensi Academia litterarum studia, in Vilnensi Canonicorum cætu eminuit, favoribûs verò Regiæ Referendarius Ducatûs Lithvaniæ, tandem Episcopus Samogitiæ evectus est. Post fata Joannis III. in Regem Poloniæ Augustus Princeps & Elector Saxoniæ electus, ut Regnum Poloniæ adiret, illius jus cardinale *Rex Catholicus esto* servare debuit. Quare ante ingressum suum in fines Regni, Religionem Catholicam Piekaris, coram imagine Deiparæ Virginis in Ecclesia PP. S. J. miraculis clara, Diæcesis Cracoviensis in Silesia professus est, formam prælegente hoc Joanne Episcopo, Reipublicæ Legato, quam jurejurando firmatam & subscriptam ab eodem Serenissimo electo recepit, eumq; Sacra Synaxi refecit; præstitit & alterum juramentum super Pacta Conventa in illius manibus idem Serenissimus. *Patoski.*

Funesta rerum vicissitudo paucis post annis totam involvit Poloniam: Regem, Regnum Carolus XII Rex

Rex Sveciæ premebat armis, tributis exhauriebat Provincias. In hac publica Regni calamitate suam Diæcesim totamq; Samogitiam eodem malô correptam non sine lachrymis spectavit Antistes, ac aliquot annorum injurias amarô tulit animô; tandem 1710. afflictam ætatem in melius mutavit.

XXIX.

JOANNES III. ZGIERSKI

De Stemmate Dabrowa vide p. 35.

DIgnitates meritis & virtuti debuit. Decanus Suffraganeus Vilnensis ad Patrias parabatur Infulas. Smolenscensis primùm, demum Samogitiæ Antistes: ut ipse probus sic suos maxime probatos voluit. Ad Canonicorum Collegium admisit neminem, nisi quem nobilitas & virtus commendatum fecisset. Paræcus illos præfecit, qui magis vitæ exemplô quàm aliis dotibûs præessent gregi; certus, magis trahi ad optima quæquæ populum probitate, quàm doctrinâ. Regimen illius afflixerat lues pestifera: providus Præsul id curavit vel maxime, ne vitâ decedentibus deessent, qui in viam æternitatis abeuntes disponerent. Obiit ipse 1714.

XXX.

PAULUS SAPIEHA

De Familia Vulpigerorum

JOanne Duce Campestri exercituum Lithvaniæ, & Constantia Herburtowna Castellani Camenecensis Filia genitus. Italiam Galliam Belgium Germaniam adolescens peragravit: in Patriam redux sub Casimiro Sapieha Supremo Lithvani exercitûs Duce militiæ rudimenta posuit: sub ejusdem signis Tribunus Hungariam heroicis implevit factis. Sed qui magnus suo tempore Dux sperabatur, spem & desideria omnium ante-

antevertit. Grodnæ à Georgio Donhoff Premisliensi Episcopo sacris initiatus, Varsaviæ primam Deo litavit hostiam. In Ecclesiastica Republica primum fecit gradum Codnæ illius Ecclesiæ Præpositus Infulatus: Brevi Varsaviensis Vilnensis Primicerius, Plocensis Custos, Scholasticus Sandomiriensis ad primas disponebatur Ecclesias; verum ab omni honorum ambitione alienus intra Religiosos parietes delitescere constituit.

Sacram Cisterciensium Familiam præ cæteris elegit; sed nec hic latere permissus: Abbas Paradisiensis electus eorundem Patrum supremô Ordinis imperiô Vicarii Generalis per Poloniam munus obire debuit. Ad Religiosas dignitates civiles Regia Majestas invito superaddidit, dum Secretarium MDL. fecit. Oblatos Episcopatus declinavit, cæterum arbitrio & mandato Romano Samogitiensi Tiaræ caput submisit. Varsaviæ 1715. à Hieronimo Grimaldi Nuncio Apostolico consecratus, anno eodem Codnæ die 1. Octobris magno dolore Familiæ obiit: ibidem in sepulchro suorum Patrum Ecclesiæ Codnensis, in qua sacris Divorum exuviis deponendis aram S. Crucis erigi fecerat, conditus.

XXXI.

ALEXANDER II. HORAIM

De Familia Srzeniavitarum.

IN Academia Vilnensi caput ad laureas erudivit, variis postmodum dignitatibûs Ecclesiasticis adornandum. Præpositus Ecclesiæ Trocensis ut in cultum loci illius Sacerrimæ Virginis liberalis, ita in ædem ejus sacram beneficus, ad illius ornamentum multa contribuit. Vilnensis Canonicus, Gieranoviensis Præpositus; Tiberiadis Præsul & Suffraganeus albæ Russiæ, Vicarius in spiritualibus Vilnensis, tot muniis abunde satis-

tisfecit, tandem Smolenscensis in Patria & Samogitiæ Episcopus utramq; Diæcesim virtute & gestis implevit. Obiit 1735.

XXXII.

JOSAPHAT KARP

De Stemmate Karp

In campo cæruleo tres sunt stellæ, binæ desuper, tertia inferiùs posita.

UT eruditione singulari, sic mira pietate & religione præditus. Epistolam Pastoralem scripsit ad Clerum Samogitiæ, in qua se ipsum, id est optimum Pastorem expressit. Magnæ spei Antistitem immatura mors tertio, à suscepto Episcopatu, annô e vivis sustulit 1739.

XXXIII.

ANTONIUS TYSZKIEWICZ

De Stemmate Leliwa vide p. 24.

QUem Familia per Lithvaniam & Poloniam diffusa, laboribûs per legationes obitas, pluraq; obsequia pro Patria, beneficiis in Deum, & Religiosos cætus insignis, in sago & toga plusquàm merita, anno 1709. orbi dedit, illum indoles optima ad quæquæ maxima instituit. Post Doctorales in Academia Vilnensi laureas, ne ingeniô ipsi duntaxat Orbi Polono notus esset, ivit in Italiam, ac per celeberrimas Regionis hujus universitates circumtulit scientiarum majestatem. Roma spectavit juvenem, & ex usu rerum, morum maturitate Virum probavit: Brevi suam indigenam accepit Lithvania, & in Principe Canonicorum cætu reposuit: variis postmodum tam sacris, quam profanis magistratibus præfecit, efficacemq; in omnibus experta est. Ab obitu Caroli Pancerzynski Vilnensis Sedis Administra-

ſtrator Diœceſim integerrimam curavit. Demum promovente Auguſto III, confirmante Benedictio XIV. anno 1741. die XVI. Septembris Præſul Samogitiæ conſecratus ſtrenuam intendit curam, ut ſuus decor Eccleſiis, gregi non deeſſent Paſtores optimi: illum ſæpius luſtravit, utq; probitate eſſet compoſitus, leges ſcripſit. Tandem laborum & meritorum plenus annô Epiſcopatûs primô ultra vigeſimum XVIII. Februarii 1762. ætatis LIII. morte immaturâ Præſul longiore vitâ dignus mortalitatem exuit.

CAPUT TERTIUM
De Epiſcopatu Culmenſi.

HUnc ſcribunt aliqui fundatum eſſe cum Varmienſi & aliis in Pruſſia Epiſcopatibus per Vilhelmum Mutinenſem Epiſcopum Innocentii IV. Legatum (a) cæterum Culmenſis ditio jam ſuum habebat Præſulem, cùm Epiſcopatus in Pruſſia erigerentur; nam Varmienſis Sambienſis & Pomeſaniæ Diœceſes inſtitutæ ſunt anno 1241. ut Naramowski ipſe L. II. C. XI. annotavit: *Vide L. III. p. 273.* quo tempore Crucigeri Culmenſem terram à pluribus annis poſſidebant. Porro juxta communem Hiſtoricorum ſenſum: (b) ad comprimendos infideles Pruſſos, qui oras Maſoviæ hoſtilibus infeſtabant armis, Terraſq; Culmenſem ac Dobrinenſem juris ſui fecerant, Conradus Dux Maſoviæ cùm eſſet impar viribus, cum Guntero Plocenſi Antiſtite conſiliô initô Chriſtinum Culmenſem Præſulem ad Pontificem Romanum, Cæſarem & Hermannum de Saltza IV. Crucigerorum Magiſtrum expedivit, qui ſuo nomine Equites hos armis Saracenorum e Syria ejectos, ad barbaros in Pruſſia ſubjugandos poſtularent.

Poſtu-

(a) Naramowſki L. II. C. XV. (b) Dlugoſſius L. VI. Hiſt: Pruſſ: L. I.: Lubienſki in Vitis: Epiſc: Plocen:

Poſtulatis Conradi, Gunteri, & Chriſtini annuit Pontifex & Magiſter. inſuper Papa ad augendum contra Pruſſos robur, ſub Crucis vexillum militem juſſit conſcribere in Germania & aliis Regnis Catholicis: quorum virtute & Ducum Poloniæ auxiliô Culmenſem & Lubavienſem Terram à barbaris vindicavit, ubi idem Conradus Dux Epiſcopatum condiderat, primumq; Epiſcopum novæ Diœceſi hunc Chriſtinum præeſſe fecerat anno 1222. ut ipſe *Naramowſki Lib. II. C. XV.* non diffitetur.

Scribit *Dlugoſſius Lib. II,* Epiſcopatum hunc à Miecislao I. Duce, cùm nomen Chriſto dediſſet, erectum fuiſſe, primumq; Octavianum huic Sedi præfuiſſe. In vita quoq; S. Stanislai E. M. idem *Dlugoſſius* in anno 1070. meminit Martini Culmenſis Antiſtitis. *Nakielſki* quoq; aſſerit 1180. ab Alexandro III. Pontifice Romano ad Culmenſem Sedem evectum fuiſſe Hippolitum Romanum. *Cromerus* ſubſcribit Dlugoſſio: ait ille, Diœceſim hanc initia ſua à Miecislao I. habuiſſe, ſed crebrâ incurſione Pruſſorum fuiſſe vaſtatam & oblitteratam. Nunc primum anno 1222. cùm Culmenſis & Lubavienſis terra ab his barbaris vindicata eſſet, Conradus Dux Maſoviæ Epiſcopatum inſtituit, cui Chriſtinus præfectus eſt.

Provincia hæc ab antiquo erat juris Poloni; nam Boleslaus Crivouſtus Dux Poloniæ cùm Provincias inter Filios diſtribueret, Boleslao Criſpo Maſoviam, Cujaviam, Terras Dobrinenſem & Culmenſem deſignavit (c) quas ditiones Leſco Albus Crivouſti Nepos, Caſimiri Juſti Filius Conrado Fratri ſuo ceſſit. Hic poſtmodum Culmenſem Terram Crucigeris permiſit.

Culma Civitas nunc Epiſcopi, & Diœceſi & Provinciæ nomen dedit; ab illa enim & Epiſcopatus & Palatinatus dicitur Culmenſis. Ea dignitate dudum eminuit, ut ab illa tota Pruſſia & nonnullæ finitimæ Pro-

vin-

(c) Dlugoſſius Lib: IV.

vinciæ jus acceperint, quod etiam nunc Jus Culmense dicitur. Tota Catholica est, nullum enim hæreticum ultra annúm patitur: habet Academiam Cracoviensi adjunctam. Præter varias ædes sacras, habet cænobium Monialium D. Benedicti a Crucigeris erectum, eaq; dote provisum, ut ultra centum Virgines Religiosas alere potuerit, sed grassante per Prussiam hæresi, ad eum devenit statum, ut omnibus defunctis, ne in prædam crescenti hæresi cederet, curam illius Sophia Izbinska Virgo Instituti S. Claræ cum tribus aliis apud suos Superiores impetravit. Illud postmodum Magdalena Mortęska fecit numerosius, & ad regulam S. Benedicti reduxit.

Hæc ex Familia plurimis honoribus & gloriosis gestis insigni, Patre Ludovicô Palatino Culmensi in lucem edita, quinquennis Matre destituta, teneram ætatem apud amitam, Vexilliferam Pomeraniæ excoluit, ab otio & illi ætati consvetis lusibus semper aliena: juveniles annos, ut suo tempore optime maturescerent omni pietate & patientiâ exercebat. Accidit: cultrô, quem ossi vitulino profundiùs infixum extrahere conabatur, agens incautiùs, oculum dextrum adeo læsit, ut hic integer effluxerit. Gravi doloris sensu eam oculi jacturam tulit Magdalena; in ulteriori tamen vita ingenue fatebatur, se agere Deo grates, per illum enim deperditum, se lumen animæ obtinuisse. Duodenis à Patre domum revocata, cùm ad statum Religiosum aspirare videretur, ejusdem jussu severiùs tractata est, ne libros spirituales legeret, ne formare litteras addisceret, prohibita: interea omnem Patris sui conatum prævertit, modumq; reperit, quo & in scribendo manum perfecit, & rerum cælestium lectioni operam dedit. Sæpiùs id advertit Palatinus Genitor, & jam blanditiis, jam minis Filiam à proposito retrahebat; sed cùm nihil proficeret, Virginem misit Torunium, ædes conduxit, omne commodum providit, utq; devotioni vacaret

caret, permisit, ingressu tamen claustri ut abstineret, sub jactura Paternæ gratiæ, indixit. Speraverat ille tædio vitæ ejusmodi mutata intentione vanis illecebris cor daturam. Cæterum Magdalena Deum vocantem Patri vetanti præposuit. Occasionem nacta sub specie itineris Lubaviam, Culmam excurrit, supplex Sophiæ Izbinska, ut se in Religiosam disciplinam susciperet: Ne Virginis desiderio faceret satis Sophia, erat obstaculum Parens Palatinus: hunc tamen deprecatâ Religiosam vitam inchoavit.

Annô probationis finitô cùm Religiosa vota professura esset, Christus illi apparuit offerens pretiosum annulum, quem cum Virgo, indignam se eo donô existimans, non reciperet, in aëre pendulum reliquit: *Noveris Filia* inquiens *annulum hunc vota Religiosa denotare, quæ ut serves, omnem curam adhibe.* Brevi in loci Superiorem constituta fuit. Fama de virtutibus Magdalenæ longe diffusa plures Procerum filias sanctioris instituti desiderio excivit Culmam. Magnus brevi tempore Religiosarum Virginum crevit numerus, in eamq; perfectionem sub disciplina Magdalenæ Culma maturuit, ut plurimi in suis ditionibus, videlicet Nesvisii, Jaroslaviæ, Posnaniæ, Leopoli Sandomiriæ, Torunii, Graudenti conditas ædes Sacrarum Virginum D. Benedicti pro institutione Culmensibus obtulerint. In primordiis plurima quidem passa Magdalena, sed omnes difficultates superavit, & opera Laurentii Gembicki Culmensis tum Episcopi *Vide Lib. I. p. 151.* ejusmodi Instituti à Clemente VIII. approbationem obtinuit: Christo in vita sua ut semper devota, sic ejus singulares non raro favores experta.

Gustavus Sudermaniæ Dux Caroli Patris exemplô Sveciæ Regnum Sigismundo III. Poloniæ Regi jure naturæ debitum pro se & sua stirpe ut obtineret, armis ferox exhaustæ bellô Turcicô, Moschoviticô Poloniæ imminebat. Ut tantum hostem comprimeret, sup-

supplex erat Christo Magdalena, sed accepit responsum: fortunatos fore Gustavi progressus.

Vastatâ Varmiâ, Ecclesiis spoliatis in ulteriorem Prussiam exercitum promovebat Gustavus: Virgo sibi & Religiosis Sororibus metuens, propere Bidgostiam recessit. Sui cœnobii & Prussiæ malis afflictæ Magdalenæ apparuit denuo Salvator toto corpore vulneratus, & ne timeret, suumq; patrocinium cum Sororibus quæreret, tristem admonuit. Visio hæc ut plenam solatii, sic omni metu fecit liberam. Paucis pôst mensibûs pacis conditiones inter Gustavum & Poloniam conclusæ. Culmam securum iter Religiosis Virginibus adornârunt.

Hos & plures Christi favores vitâ ad omnem probitatis & modestiæ legem compositâ, humilitate, patientiâ, cæterisq; virtutibûs, tum profusâ in egenos, & Religiosos cætus (Collegio Torunensi PP. S. J. non exiguam providit dotem) liberalitate merebatur. Tandem curis pro integritate Sororum suarum & annis fractam ætatem deposuit annô ætatis suæ 76. Christi 1631 Culmæ sepulta. Hucusq; incorrupta quiescit, variis gratiis pietatem famulæ suæ Deo etiam in terris compensante. *Stanislaus Brzechfa S. J. in vita Magdalenæ.*

Hujus Episcopatus Cathedra Culmseæ (civitas Torunio duabus leucis distans) sub titulo S. Crucis erecta est. *L. XI. Dlugossius & Cromerus L. XIX.* scribit: Culmensis Episcopatûs Ecclesiam Cathedralem in oppido Zabrzezno alias Riszemborg, cùm munitionem hanc Poloni 1422. oppugnarent, in favillam abiisse. Capitulum præter Archidiaconum, Decanum, Præpositum* ex septem componitur Canonicis. Ad Judicia Tribunalis Regni unum eligit Judicem Deputatum. Stemma illius, Crux in circulo.

Henricus Ord: Prædicatorum Culmensis Episcopus Ecclesiam in Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini transmutâsse non contentus, (quæ erat Cle-

* Scholasticum

Clericorum, ut dicimus, sæcularium) non consulto suo Metropolitano Gnesnensi Archiepiscopo, cum suis Canonicis ad Ordinem Crucigerorum, id Magistro & FF. Teutonicis svadentibûs, & deprecantibûs, cum assensu Anselmi Episcopi Varmiensis in Prussia tum Legati Pontificii transiit 1264 Calendis Februarii, eorumq; institutum professus est. (*d*) In eo fundamento compellentibûs Crucigeris ut sui Ordinis Episcopus non subesset Metropoli Gnesnensi Polonæ, Hermannus de Prizna VII. Culmensis Antistes excutiebat jurisdictionem Archiepiscopi Gnesnensis: cujus exemplo ejus in Sede Successor Nicolaus Afri hoc negotium strenuè Romæ promovebat, sed uterq; decisione Summi Pontificis suo officio restitutus, Gnesnensibus Archiepiscopis parere jussus est. *Vide L. I. p. 64.*

Diæcesis Culmensis Ecclesias, cum Rectoribus suis curam animarum habentibus, CLX. numerat, præter variorum Religiosorum sacras ædes, quæ numerosæ sunt. Mariæburgum olim Magistri & Teutonicorum Sedes pars illius est.

Antistes Diæcesis hujus, præter Culmensis titulum, dicitur etiam Pomesaniæ, ab eo præcipuè tempore, cum Gerardus Queis (qui in Episcopatu Pomesaniensi Achilli Cardinali successit) Lutherum secutus, pravo & sacrilego exemplo Ducis Troppensis Filiam in sociam vitæ duxit. *Hist: Prussiæ L. VII.*

Pomesania à Pomeso Viduviti Filio dicta in Diæcesim anno 1241. à Vilhelmo Mutinensi Episcopo disposita Ernestum Ordinis Prædic: primum Præsulem sortita fuit: qui Quidzini urbs hæc à Pomeso condita esse scribitur in memoriam Quidzini sui generi (*e*) à Cruciger is anno 1233. restaurata & in meliorem ordinem disposita, Mariæverderum appellata est (*f*) Ecclesiam Cathedralem in honorem Deiparæ Virginis & S. Joan-

(*d*) *Dlugossius L: VII.* (*e*) *Hist: Pruss: L. I.*
(*f*) *Hist: Pruss: L. II.*

annis Evangelistæ condidit, eamq; per annos XXV. summa probitate rexit.

In hac æde sacra sepulta est Dorothea sanctitate vitæ celebris. Vixit illa sæculo XV. Vilhelmo & Agatha rusticanis Parentibûs in pago Grossmontau genita. Inter Fratres & sorores erat morata, & silentio adeò addicta, ut nemini, nisi Parentibus, aut jussa loqueretur. Raro videbatur refici alimentis, ad labores tamen semper prima, à quibus ultima recedebat. Mysteriis cruciatuum Christi singularius affecta, cubitum nusquam se contulit, quin illos amaris defleret lachrymis. Mundanas lætitias mira arte declinabat; cùm speraret se ad choreas invitandam, pedem vel faciem lædebat, ut justæ excusationis haberet argumentum. Ferebatur castitatis amore, morem tamen gerere debuit Parentibus: Alberto Sutori Gedanensi in matrimonium elocata, viro satis probo, nisi ebrietas frequentior molestum consorti fecisset. Vitium mariti & injurias tulit patienter, eo tamen afflicta, quòd per noxarum suarum confessionem, quam sæpius absolvebat, conjugi suspecta esset. Ad eam animi anxietatem placuit Deo externam superaddere: quinque filios viro suo genuerat, omni probitate instructi juvenes non exiguam spem alebant futuri solatii; interea sæviens pestilentia omnes intra spatium trium mensium e vivis sustulit.

Animo æquo acceperunt Parentes hanc filiorum jacturam: & cùm prolem sperare non possent, vendito patrimonio ad colendas Sanctorum exuvias peregrinationem susceperunt. Einsidelum locum D. Jacobi celebrem, Marsiliam vitâ & lachrymis D. Magdalenæ consecratam, tandem Romam ad limina SS. Apostolorum pervenerunt: ubi vir ejus viæ & vitæ finem habuit, in agro peregrinorum sepultus. Cogitanti Dorotheæ in eo casu quid ageret, post preces & varias corporis afflictationes venit in mentem, ut in Patriam rediret. Paruit Divino instinctui, reversa Gedanum

num ædiculam conduxit, in qua solitæ pietati vacabat; sed brevi interne admonita Quidzinum se contulit ad Joannem III. Episcopum Pomesaniæ, qui de modo ejus pænitentiæ, & ulteriori vita statueret.

Præsul re Deo commendata, cùm vitam & mores ejus probos perspexisset, illam ad Ecclesiam Cathedralem occludi fecit; & necessariis rebûs fovit. Paucos post menses mulier sancta in illo voluntario carcere toti viciniæ inclaruit: virtutis ejus fama Prussiam prætergressa plures Quidzinum excivit; confluebat variis è locis populus, negotiorum suorum felicem eventum commendabant singuli, deprecabantur universi, ut precibûs suis præsto illis esset apud Deum Patrona. Soli Crucigeri erant infensi, quos modestiæ & melioris vitæ admonebat sæpe, & nisi resipiscerent, Ordini integro interitum prædicebat.

Plures annos in illo recessu emensa, cum supremam diem instare sibi adverteret, petiit, ut illi à Joanne Quidzinensi Canonico Sacramenta administrarentur: Spirituale hoc obsequium differebat Canonicus, quod sanam & bene valentem videret; sed Dorothea cùm se hoc ultimô in vita beneficiô privari cerneret, *Video*, inquit, *non amplius hæc pietatis officia mihi exbibenda fore.* Evenit, quod prædixerat; horâ noctis subsequentis media carcer ille insolito lumine coruscare cæpit, audita & cælestis musica: rei novitate exciti Canonici accurrunt, sed Dorotheam jam vitâ functam reperiunt. Magno populi concursu celebratum funus, res in memoriam & cultum direptæ, Corpus Joannes Episcopus in choro parvo Ecclesiæ Cathedralis depofuit. *Hist. Pruss: L. V.*

Et quia Culmensis ditio (ut innui, & fusiùs infra patebit) à Conrado Duce Mazoviæ permissa fuit Crucigeris, congruum existimo, illorum originem, adventum in Prussiam, & exitum annotare.

Godefridus Bullonius felicibûs Christianorum armis anno 1099. cùm Hierosolimam expugnâsset, & Urbem hanc vitâ, cruciatibûs, sangvine & morte Christi consecratam à jugo barbarorum plene vindicasset; illius Rex primus: quidam natione Germanus pro commodo suorum indigenarum civitatem hanc devotè adeuntium cum consensu Patriarchæ Hierosolimitani in monte Sion xenodochium condidit cum sacello cultui Deiparæ dedicato: ubi curam peregrinorum præcipuè gentis suæ habuit cum aliquot Germanis.

Post quam verò 1187. dolendô totius Christianitatis fatô urbs hæc sancta à Saladino Ægypti Soltano capta, denuo cessit barbaris; Fridericus Barbarossa (sic dictus à barbæ rubedine) Cæsar collecto exercitu ad Syriam vindicandam perrexit, & expugnata Adrianopoli, geminô prælio Saracenis devictis, Ciliciâ & Asiâ minore subjugatâ dum appropinquaret Syriæ, undis Cydni corpus loturus, vix in fluvium descendit, ejus frigore obriguit, & semivivus extractus, vitam paucis post diebus, Maji die XII. anno à Christo nato 1190. amisit. (a) Tanto Duce orbatus Christianus exercitus Friderico Duci Svevorum defuncti Cæsaris secundo genito clavam detulit, ac Ptolemaïdam obsidione cinxit.

Sub tempus obsidionis hujus ex vulneribus & morbis contractis fatiscebant militum plurimi. Ad eorum valetudinem reparandam venerant equidem ex Hierosolimitano nosocomio Germani, sed numerus langventium longe superabat medentium charitatem & obsequia. Bremenses itaq; ac Lubecenses langvidorum miserti ex velis navium pararunt tentoria, in quæ, ut à solis ardore tuti essent, collectis infirmis obsequia cum Hierosolimitanis magna alacritate distribuerunt.

Eam Virorum charitatem mirabantur omnes: Fri-

(a) *Lubienski Geograph.* Meminit & *Dlugoss: Lib: VI.* fati ejusmodi Imperatoris hujus.

Fridericus Supremus expeditionis Princeps facto conventu bellico, illam magnis laudibûs cumulavit, & ad ejusmodi officium adhortatus est: *Quæ isti præstant*, inquit, *nos oportuit multo ante fecisse; quandoquidem Deus Optimus liberalius sua bona nobiscum, quàm cum illis diviserit. Sed nos hactenus gravibûs Christianæ Republicæ, distenti negotiis hoc opus perficere nequivimus; attamen ne quoq; in posterum, optimum Christianæ Religionis exercitium intermittatur, curemus impensè. Quod cum per nos ipsos expedire non possumus, ad id famulos nostros destinemus qui non modo in præsenti, sed & in omnibus futuris obsidionibus, & bellis curam ægrorum exemplo istorum in se suscipiant, & nihilominus contra hostes Christiani nominis præliari sint obstricti.* Magno plausu is Friderici sermo acceptus est. Quadraginta nobiles huic sancto obsequio nomina dederunt. Vestitus illis à Patriarcha designatus, cum capitio, pallium coloris albi ab utraq; parte cruce nigra signatum: cætusq; hic dictus est: *Domus Teutonica Dominæ Nostræ in Hierusalem.* Hist: Prus: Lib: I.

Societas hæc ut suum Superiorem, à quo regeretur, haberet; communibûs suffragiis Henricum Valpach, sive Valpat nobilem ex Bremensi Diæcesi elegit, qui certas leges habitô cum aliis consiliô suis præscripsit. Cupiens Ordinem debuit ingenue fateri. *I. Se esse nobilem Teutonem, nec alicui obstrictum. II. Nulli Virgini aut Viduæ nuptias unquam promisisse, velleq; fugere fornicationem, ac castum usq; ad finem vitæ permansurum. III. Non emisisse votum alterius Religionis intrandæ. IV. Nullius infirmitatis corporeæ esse conscium, quæ illi impedimentum esset in exercitiis & negotiis Ordinis obeundis. V. Obedientem fore superioribus, & laudabilibus consvetudinibus Ordinis subjectum, gratumq; habiturum, quidquid sive mali, & adversi, sive boni ipsi contingat.* Post hæc profitebatur Ordinem. *Devoveo & trado me cum anima & corpore, bonis ac sangvine Deo & Electissimæ Castissi-*

mæq;

meq; Ejus Matri, Sanctæ inquam MARIÆ, & Signo San-
ctæ Crucis, promittens me illorum servum futurum, & quo
ad vixero, pro Crucis defensione pugnaturum. Sic me verè
Deus adjuvet, & Crux Ejus sancta. Vita omnibus erat
communis, commoditatum quarumvis contemptus;
unde præter alias corporis ærumnas, barbam semper
alebant, & pro lecto saccis stramineis utebantur, nisi
ægra valetudo aliud quid requireret. Pro penso quo-
tidiano Fratres Laici tenebantur recitare ducentas Ora-
tiones Dominicas, & totidem salutationes Angelicas,
præmissô his precibus, & ad finem superadditô Sym-
bolô Apostolicô. *Hist: Pruss: L. I.*

Tam pio Instituto deerat authoritas PontificisRo-
mani; pro ejus confirmatione Patriarcha Hierosolimi-
tanus, Principes exercitûs Christiani, pluresq; etiam
ex Europa Præsules, quibus illud innotuit, Legatos Ro-
mam expediverunt: eamq; anno 1191. à Cæleftino III
impetrârunt: qui novo Ordini regulam S. Augustini
& denominationem hanc: *Fratres Domûs Teutonicæ Ho-*
spitalis S. MARIÆ in Hierusalem præscripsit. *Hist: Prus:*
Lib: I.

Habitâ Ordinis approbatione Henricus Magister
Ptolemaidæ, cum hæc à Christianis expugnata esset, ad
Ecclesiam S. Nicolai fixit domicilium, (b) quod toti-
us Ordinis supremum esse voluit. Admisit in primor-
diis ad obsequia suorum spiritualia sæculares Clericos
persolutô illis honestô stipendiô. Brevi proprios Or-
do habuit. Ut verò moratos Fratres efficeret, sanxit,
Fratres Ecclesiasticos à solo Magistro, reliquos ab eo,
qui primus esset post Magistrum, pro delictis secrete
corripiendos, nisi aliud circumstantiæ exigerent. Or-
dine sic dispositô & optime administratô anno 1200.
humanis Henricus Valpach exemptus est. Successit
illi Otto à Carpen liber Baro, qui sigillum pro signan-
dis diplomatibus & litteris instituit: erat illud oblon-
gum

(b) *Harnocht Par: I. C. II.*

gum cum effigiè S. Josephi ducentis asinam, cui MA-
RIA Virgo in Ægyptum fugiens cum Infante JESU
insidebat: inscriptio quoq; eidem sigillo exarata lege-
batur: *Sigillum Officii Magistri Teutonicæ Domûs in Hie-*
rusalem. Vixit ille 1206. Post cujus fata Hermannus
Barth Holsteinensis electus per privilegium Henrici
HierosolimæRegis cæpit uti cruce aurea in nigram in
sertâ. Breve suum regimen finivit 1210. die XX.
Martii. Cui Successor datus unanimî votô Hermannus
de Saltza Thuringus. Hic decem Equitum Ordinem
ad eum auxit numerum, ut duo millia probatorum in
arte militari in aciem sæpius produceret. Syriam fama
Heroum prætergressa, Venetiis, in Germania & aliis
Regnis plures opes cætui huic adjunxit. Quare cùm &
vires & facultates Ordinis hujus crescerent, statutùm
fuit, ut præter Supremum Magistrum instituerentur
Provinciales, qui præessent Provinciis. Accessit &
Friderici II. Imperatoris favór, qui insignibus Ordinis
aquilam nigram superaddidit, & Magistro Principis ti-
tulum contulit.

Interea Prussis Conradi Ducis Masoviæ ditiones
vastantibus inops consilii & virium Conradus, habitô
suorum conventu, Christinô Episcopo Culmensi sva-
dente ad evocandos Fratres Teutonicos adjecit ani-
mum: expèdivitq; eundem Christinum Romam: (hæc
alibi dicta sæpius ex circumstantiis materiæ, hic ipsa
rei serie exigente annoto.) Ivit ille ad Gregorium IX.
votisq; Conradi satisfecit. Cum reduce Christino Fra-
tres Conradus à Landisberg, Otto à Salaiden cum ali-
is octodecem Crucigeris venerunt in Masoviam, belli
contra Prussos compositurì negotium.

Res hæc in eum modum conclusa: Conradus, ut
stationem haberent securam, tradidit illis Castrum Do-
brinense, unde etiam quandoq; dicebantur Fratres Do-
brinenses (c) Culmensem Tractum, & quidquid ter-
ræ

(c) *Dlugossius Lib: VI.*

ræ inter Viſtulam atq; Drvencam fluvios continetur, his legibus: Ut contra Pruſſos bellum ſedulo gererent quibus domitis Culmenſem ditionem redderent, cætera verò quæcunq; de barbaris cepiſſent, arbitriô bonorum virorum ſecum, aut ſuis poſteris ex æquo partirentur: Polonis ne quam vim, aut injuriam facerent, neve hoſtes ipſorum reciperent, aut aliquo favore proſequerentur, contra barbaros autem, & à Religione Chriſtiana alienos, ut illis, cùm opus foret, præſto eſſent. Si quid horum transgrederentur, pœnæ, quæ contra ingratos eſt ex jure gentium, ſubjacerent: videlicet beneficia accepta amitterent. *Hiſt: Pruſ. L. II. Lubienſki in Vitis Epiſc. Ploc.*

Ita quoq; rem pactam *Dlugoſſius Lib. VI.* cum recenſuiſſet: *Conſultanti autem* ait *ſuper donatione Terræ Culmenſis Cruciferis facienda Conrado Maſoviæ Duci, fabula à Trogo deſcripta, & pene in ſimili eventu, dum Maſſilienſis fundaretur Civitas ab uno Regulorum in conjectura perſpicaciſſimo, à Conſiliariis Polonicis, in detractationem eorum, quæ conceperant, objicienda erat. Canem aliquando partu gravidam locum à paſtore precario petiiſſe, in quo partum effunderet: quo obtento, iterum ſolicitâſſe, ut ſibi educare in eodem loco teneros partus liceret. At poſtremò adultis catulis fultam domeſticô præſidiô proprietatem loci herô ſuô exclusô vendicâſſe. Nec ſecus Crucigeros egiſſe*, concludit Dlugoſſius, *qui ſuos fundatores ſedibus excluſos eorum terras per fas & nefas occupare non pudebat.*

Hæc inter Conradum, & ſupra memoratos Crucigeros anno 1228. acta à Gregorio IX. approbata ſunt. Illa quoq; Martinus Cromerus e libro vetuſto Germanicis litteris conſcripto, qui in arce Lubavienſi aſſervabatur, operâ Stanislai Hoſii Culmenſis, demum Varmienſis Epiſcopi invento annotavit. Pacta enim ipſa publicis tabulis conſignata partim temporum injuriâ, aut negligentiâ Polonorum partim ſtudiô Crucigerorum ſuppreſſa perierunt. Friderici quidem II. Cæſaris

ſaris diploma, quod illi bullam auream nominabant, diligentiùs aſſervabat Ordo, fomitem multorum inter Polonos & Crucigeros bellorum. Confirmabat ille prædictis Equitibus Terram Culmenſem, & quidquid de Pruſſia lucraturi eſſent, item ditionem, quam eis Conradus Dux Maſoviæ inter Pruſſiam & novam Marchiam adhuc daturus eſſet; quaſi verò Imperator, aut quiſpiam Germanorum in illas oras aliquod jus habêret, aut habuiſſet unquam. Adjecit etiam Crucigeris poſtea Gunterus Epiſcopus Plocenſis villam cum Inſula magna in eo ipſo territorio. *Hiſt: Pruſſ. L. II.*

Sic rebûs ſtatutis, Hermannus de Saltza Magiſter Ordinis collectas copias ſub Crucis vexillum expedivit in Pruſſiam cum Hermanno Balck, primo Provinciali Pruſſiæ, F. Ditricho à Bernehein, Mareſchalco, F. Conrado à Tutlen Commendatore, F. Henrico à Bergen Commendatore domeſtico, F. Henrico à Zeit Hoſpitalario, F. Henrico Turingo Commendatore Provinciali, olim S. Eliſabethæ Camerario & aliis Equitibus. (d) Ad ditiones ſuperiùs enumeratas adjecit eisdem Conradus Nieſſaviam ex altera parte Viſtulæ ſitam eo fine, ut ſi forte ex Culmenſi Tractu à Pruſſis pellerentur, huc ſe navibûs in tutum reciperent. Eundem Ordinem beneficiis cumulavit Chriſtinus Epiſcopus, & Capitulum Vladislavienſe. (e) Tantam liberalitatem Ordo Crucigerorum in primo in Pruſſiam ingreſſu expertus eſt; beneficentiam hanc ſi colere ſtuduiſſet, & abſtinuiſſet à ditionibus Polonis, & ipſe & Poloni feliciores extitiſſent.

Ea poſſeſſione habita Crucigeri cum auxiliaribus copiis Conradi Maſoviæ, Sventopelci & Samborii Pomeraniæ, Laſconogi Majoris Poloniæ, Siemoviti Cujaviæ, Leſconis Cracovienſis, Henrici Legnicenſis, Ducum aciem contra barbaros ordinârunt. & felicibûs armis, virtute præcipua Sventopelci cæſis 15000. hoſtium

D.4

(d) *Hiſt. Pruſſ. L. III.* (e) *Lubienſki in Vitis Epiſ. Ploc.*

ſtium, ſuorum verò 4000. amiſsis plenam reportârunt victoriam: arcem Slemmo dictam, ad quam fugerant barbari, expugnârunt. Vario Marte poſt modum cum infidelibus pugnatum eſt: ſed numerô & ditionibûs aucti Crucigeri, devictis barbaris Pruſſiam juris ſui fecerunt.

Ampliatô dominiô juxta conditiones pactorum cum Conrado Duce Maſoviæ, Crucigeri non tantum Culmenſem terram Polonis non reſtituebant, ſed ditiones Pruſſorum gladiô acquiſitas, quas ex æquo partiri debuerant, armis tueri non contenti, Poloniam hoſtilibûs irruptionibûs infeſtabant. Exuſta paſſim oppida, crematæ villæ, magna pars regionum flammis ac ruinis abſumpta. Et ne in ſolos homines ſævire viderentur, ædes Deo conſecratæ, dirutæ, favillis & cineribus inſepultæ, ſacrorum cuſtodes ejecti, aut vitâ ſpoliati: Pomeraniam, Cujaviam uſurpârunt, Samogitiam Lithvaniam ferro & igne vaſtârunt ſæpius. Lancicia, Siradia, Major Polonia illorum ferociam & furorem non ſemel experta. Pro his injuriis bellô & pacis conditionibûs à Polonia certatum eſt; ſed ſuperba Teutonicorum indoles nec armis nec pacis conditionibûs domari potuit.

Annô tandem à partu Virginis 1410. Ladislao Jagellone Poloniam, Vitoldô Lithvaniam, Ulricô Juningô Magiſtrô XXIII. Ordinem, moderantibûs, venit dies decretoria, quæ ferocem Crucigerorum compreſſit animum. Ladislaus Rex, cum in dies ſuas Provincias pertinaci Crucigerorum inſolentiâ magis opprimi cerneret, lectum ex Polonis, Lithvanis, Zavolgenſibus & Tranſvolganis Tartaris exercitum movit in Pruſſiam ac ad Kozinicios Viſtulam prætergreſſus, in ulteriore ripa caſtra metatus eſt. Interea ſupervenerunt Legati Sigiſmundi Cæſaris Regem ad æquas pacis conditiones inclinaturi: has admittebat Ladislaus; exigebat, ut Dobrinenſem Terram, & inique rapta ſibi duntaxat reſtituerent Crucigeri, Samogitiâ & Lithvaniâ

niâ abſtinerent, de damnis verò ut Sigiſmundus ipſe decerneret: ſed Crucigeri indignum rati ab hoſte armato conditionibûs circumſcribi, quaſi victoriam haberent pediſſequam, propoſitiones Regias rejecerunt.

Modeſtus Princeps, cum à Legatis Sigiſmundi nihil reſponſi acciperet, Petrum Korzbog equitem ad Crucigeros expedivit, ut de eorum ſententia certior fieret. Re à Magiſtro in deliberationem ſuorum poſita, omnes fremere, bellum quàm pacem malle, repoſuerunt viribus confiſi: numerabant ultra 14000. tota ferè Germaniâ authoribûs Crucigeris in exitium Polonorum conſpirante. Unus Vendenſis Comes Commendator Mevenſis fœdera ſvadebat, exponebat communem Martem, dubiamq; belli aleam. Graviter ex eo Vernerus Tetinger Elbingenſis Commendator in Vendenſem invectus eſt. *Poteras* inquit, *cum iſthoc animo domi manere, & ægrorum fratrum curam gerere.* Cui Comes: *Ego, quæ recta & utilia judico, conſulo, ſi aliter videtur, ita me Deô propitiô geram, ut genere meo dignum eſt: tu vide, ne ſis dictis ferocior, quàm factis fortior.* Hanc Commendatorum rixam intercepit quidam Stiborius, pacemq; enixius precari cæpit; ſed hunc ipſe Magiſter coarguit: *Polonus cùm ſis Stibori, quæ in rem Polonorum ſunt, loqueris:* Chriſtiburgenſis quoq; Commendator Albertus Schvartzemburgius bellum non optaverat; invitus tamen ad id ſuo tempore profectus eſt. Abeunti ex arce aderat ſupremus chori rector, qui pergentem allocutus: *cùm tu abeas, cui interim commendas arcem? Tibi* ferociùs quàm prudentiùs repoſuit Albertus: *& omnibus diabolis, qui hoc bellum ſvaſerunt.* Ex ſecrationem hanc infauſtus excepit eventus; nam poſt cædem Grunvaldenſem arx hæc cæpit infeſtari à ſpectris infernalibus. *Hiſt: Pruſ. L. III. L. IV.*

Dum bellum ab utrinq; perſonaret, Ladislaus ulteriùs promovit caſtra: & ubi hoſtium fines attigit, in late patenti campo acie explicata, acceptôq; maximô vexil-

vexillô fonora voce permiſtis ſingultibûs lachrymabundus Deum precari cæpit: *Deus Optime Maxime, non modo factorum atq; dictorum, ſed & cogitationum omnium cognitor, Tu mihi teſtis es locupletiſſimus, me invitum ad hoc bellum cum Chriſtianis gerendum deſcendere maximis & intolerabilibûs Crucigerorum injuriis provocatum, & officiô meô adductum; ut populos abs Te curæ & fidei meæ concreditos de rapacibus & cruentis eorum manibus & nefandis contumeliis vindicem. Tu noſti, conſilia pacis me nunquam defugiſſe, & vel iniqua pace juſtum bellum redimere cupiviſſe: ſi quem religioſi homines inſatiabili cupiditati & irreligioſæ ſuperbiæ ſuæ modum ſtatuere voluiſſent. Sed quando nihil apud eos manſvetudine & patientiâ vix privato homini nedum Principi conſentanea profeci, Tuæ juſtitiæ fiduciâ juſta piaq; arma ſumpſi, Tuiſq, auſpiciis vexillum hoc nunc explico. Tu quæſo, juſtiori cauſæ faveto, & ſangvinem Chriſtianorum, qui immaniter hactenus à Crucigeris trucidati ſunt, quoſq; hoc bellum utrinque abſumet, ab illis, qui cauſam bello dederunt, repetito.* Hiſt: Pruſſ: L. III. Dlugoſ: L. XI. Neugebaver L. V.

Hæc Rex collachrymante exercitu ubi finivit Poloni S. Adalberti carmen Deiparæ Virgini dicatum intonuêre: Ladislaus verò initô brevi cum Ducibus belli conſiliô adminiſtrationem armorum commiſit Zindramo Maskovicio Enſifero Cracovienſi, & ut ſecundus poſt Regem eſſet, ſtatuit. Rebûs ita diſpoſitis promovit militem, & ad Grunvaldum ſubſtitit.

Erat in conſpectu hoſtis ad conflictum paratus, præſtolabantur ſignum prælii Polonæ acies: verùm Ladislaus non auditâ re Divina manus à pugna continere cenſuit, quare tentorium explicare, & ſacra perfici mandavit. Dei ope imploratâ procedebat armatus: interea nunciatur è hoſtilibus caſtris geminos ferri equites. In conſpectum Regis admiſſi, nomine Ulrici Juningi Ordinis Magiſtri (cujus erant Nuncii) hortabantur Ladislaum: *metum excuteret, neve cunctaretur inire certamen; ſe eidem & Vitoldo duos ſtrictos gladios deferre, ut vel his adverſus Crucigeros uteretur, ne quam verò ad explicandos ordines anguſtiarum cauſam haberet, neve inter nemora latitaret, conceſſurum ipſi Magiſtrum plus campeſtris ſpatii.*

Tam ſuperba mandata cùm Legati exponerent, Crucigerorum exercitus, ut fidem nunciis faceret, non modicô intervallô receſſit. Ladislaus verò adeò temerariam & inſolentem legationem compoſito accepit animo, reſponditq; modeſte: *ſatis quidem armorum ſe habere in exercitu, accipere tamen in nomine Domini gladios contumeliæ causâ ab hoſte miſſos, atq; accipere ut omen victoriæ, quam ſibi armorum traditio portendit.* Prædicti duo enſes ſervantur in ærario Regni Cracoviæ, alterius arrogantiam, & cladem, alterius humilitatem, & triumphum nova & recenti ſemper memoriâ teſtaturi. *Dlugoſſ: L. XI.*

Mox Jagello paucis milites adhortatus, ſignum dedit conflictui, ſimulq; Polonus exercitus conſvetum bellicis expeditionibus carmen cecinit, & cum hoſte congreſſus eſt. Pugnatum fortiter, utraq; parte pro victoria pertinaciter decertante: ſed cælo pro juſtitia decidente, Polonus miles integram victoriam obtinuit, magis ex eo glorioſam, quòd e nobilibus Polonis pauci, plures e Tartaris Ruſſis Lithvaniſq; deſiderati. Juningus Magiſter Ordinis cum plurimis Commendatoribus & primis copiarum ductoribus temeritatis & furoris ſui victima occubuit. Præter illos quos in fuga abſumpſit gladius; aquæ & paludes ſuffocârunt, cæſa eo die feruntur hoſtium 50000. in captivitatem iisdem funibûs & compedibûs, quas pro Polonis paraverant, abducta 40000. ſigna militaria 51. intercepta, adornatura ſuo tempore Regii triumphi pompam. *Dlugoſſ: L. XI. Hiſt: Pruſſ: L. III. Bielſki L. III.*

Hanc ſuam & ſuorum cladem præſenſerat Ulricus Ordinis Magiſter; copias proprias & Regias in numeroſa

merosâ multitudine ad dimicandum accinctas in ſuis ordinibus conſtitiſſe cùm cerneret, ultimi diſcriminis horam exhorreſcens, fiduciam, qua uſq; ad ſuperbiam inſanierat, in ſolicitudinem & metum vertit: ac cum nonnullis cohortium præfectis à conſpectu tantæ hominum catervæ recedens, non tantùm mærori, ſed & lachrymis ubertim manantibus indulſit. Ægre id tulerunt præcipui copiarum ductores; quare Elbingenſis Commendator Vernerus Tetinger lachrymantem publice corripuit, admonuitq; ut virum ſe non fæminam probaret, & potius bellicæ virtutis, quàm ignaviæ exemplum militibus ſignum pugnæ ab eo præſtolantibus præberet. Commotus ea objurgatione Magiſter Se modeſte reſpondit *non ignavia aut metu aliquo lachrymas, quas cernerent, profudiſſe, ſed religione, & non ficta commiſeratione; quòd videlicet ſub ſuo magiſtratu tantum Chriſtiani ſanguinis, quantum oculis & animô concipi poteſt, fuſum iri animadverteret. Vereri ſe, ne prope horam fundendus ſanguis de ſuis requireretur manibus.* adjecitq; *ſe, ut virum decet conſtantem, pugnam lætô animô initurum, & in ejus diſcrimine, in quamcunq; partem ſors ejus foret, perſeveraturum. Se ipſum potius Vernerus aſpiceret, ſe curaret, ne ſuperbè & ferociter de ſuis viribus præſumens tanto turpiùs, dum ad pugnam ventum foret, caderet, quanto ſe inſolentiùs ſupra cæteros erigeret.* Nec vana fuit hæc denunciatio; Magiſter Pruſſiæ Ulricus pugnans adverſo Marte cecidit, nec ſuo exercitui victo ſupereſſe dignum duxit. Vernerus verò turpiter aciem deſerens, non priùs trepidum in fuga animum collegit, & pedem continuit, quam Elbingam perveniſſet. *Dlugoſſ: L. XI.*

Sic attritis Crucigerorum viribûs actum fuiſſet de toto Ordine in Pruſſia; ſi Rex plurium conſiliô Mariæburgo, quod facile expugnari poterat, copias admoviſſet. Sed dedit ſpatium Henrico Plavenio Svecenſi Commendatori, qui prælio non interfuit, munitionem hanc 5000. introductis fortiorem reddere. Septimis nunc

nunc primum caſtris Jagello cum exercitu Mariæburgum pervenit, & expugnaverat oppidum, ſed arx amplo & profundo ambitu, foſſiſq; cincta, ac ſubminiſtrato per Plavenium milite erat fortior, quam ſperaverant Poloni: illius itaq; obſidionem inchoârunt, & dum rem negligentiùs agerent, à Crucigeris obſeſſis interturbati cladem, quam acceperant, nece plurium hoſtium vindicârunt.

Plavenius impar viribûs arci & ultimis Crucigerorum in Pruſſia reliquiis metuens impetravit à Rege colloquium. Venit in caſtra cum Fratre ac paucis Bohemitis & Sileſitis, peroravitq; ſupplex pro ſuo Ordine: *Devicti à Te Rex Maxime bellô graviſſimô, & ad extremum ferè deleti, nihil eſt, quòd vel tua victricia arma incuſemus, vel fortunæ ſuccenſeamus, penes nos ipſos hujus cladis atq; omnium malorum, quæ cumulatè nunc nos inundârunt, culpa eſt. Nos injuſtè tua appetivimus, atq; divexavimus, nos ſtultè manſvetudinem tuam contempſimus, nos deniq; Te graviter læſum, & tamen æquiſſimas pacis leges ferentem ſuperbè aſpernati ſumus. Itaq; juſtâ Divini Numinis vindictâ à Te, tuoq; invicto exercitu perculſi & afflicti ſumus. Sed jam ſatis abunde pœnarum Tibi, Deoq; ultori dedimus, non modò exercitibûs noſtrîs ad internecionem delêtis, verum etiam Ducibûs & authoribus horum malorum extinctis. Jam agnito errore & culpâ noſtrâ exiguæ miſerorum Crucigerorum reliquiæ ad tuam clementiam confugimus, ne ad extremum nos exſcindas. Ejuſdem eſt virtutis Rex inclyte parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos. Novimus Te Chriſtianum Principem, & clementiæ magis atq; bonitatis, quàm fortitudinis laudem expetere; quanquam quæ fortitudinis laus eſſe poteſt? ſi proſtratos atq; jacentes proteras? ne leones quidem & urſi id facere dicuntur. Quid tibi ſeu commodi, ſeu voluptatis noſtrum afferet excidium? Multa, fateor, in Te tuoſq; Lithvanos atq; Polonos peccavimus, verùm quô major eſt culpa noſtra, hôc illuſtrior erit clementia Tua. Neq; nos Tibi omnem victoriæ fructum eripimus*

vimus, neq; incolumitatem impudenter petimus, Pomeraniam Culmensem & Michaloviensem Terram & si quid aliud de Polonia, sive bellô sive qua alia ratione quæsivimus. & usurpavimus, Tibi, ut habeas, per nos licebit. Prussiam modo, quam olim nostri Majores, dum Masoviam atq; Poloniam, illo præmio invitati defendunt, justis armis & sangvine suo barbaris eripuêre, nobis concedas, per JESU CHRISTI mortem, & Sanctissimæ Matris Ejus MARIÆ nomen, sub cujus signis militamus, petimus & obsecramus; majori Tibi, Tuisq; Polonis & Lithvanis usui posthac futuri, in extremo illo terræ angulo relicti, quam ex his sedibus nostris penitus ejecti & exterminati. Hist: Pruss: Lib. IV. Neugebaver L. V. Cromerus L. XVII.

Hic Plavenii sermo variè acceptus est à consilio Regio. Aliqui humanitatis & Religionis intuitu ac ipsa æquitate conditionum permoti mitiora svadebant. Plures alii rebûs secundis elati bellum prosequendum, vicesq; superbo Ordini reddendas concludebant. Horum sensui subscriptum est. Itaq; Brezius Mareschalcus Poloniæ nomine Regis respondit Plavenio: *Accipere eum* inquiebat, *à victore conditiones pacis, non donô afferre debuisse; aut si afferret, non ea sanè victoribus eum concedere oportere, quæ ipsorum & olim fuissent, & nunc denuo jure belli atq; deditione facta essent. Mariæburgum potius, & quæ alia in potestate sua haberet, dederet, ac tunc demum Victoris clementiam imploraret.* Eo responso offensus Plavenius *Ego* ait, *æquissimas vobis & ultro expetendas conditiones attulisse me arbitrabar; sed quando aliter vobis & Regi vestro videtur, Mariæburgum, cæterasq; munitiones, quas adhuc retinemus Crucigeri, priusquam ego dedam, extrema quæque experiar: & respiciet nos, uti spero, deinceps Deus magis propitius; quando quidem iram & offensionem ejus violatis fæderibûs & superbiâ nostrâ crontractam partim suppliciis & morte eorum, qui in hoc bello ceciderunt, partim demissa & supplici hac nostra petitione satis, ut opinor, expiavimus.*

Nec

Nec irrita fuit Plavenii oratio; ab illo tempore res Polonæ adversâ fortunâ cœperunt minui: Mariæburgum tædio longiorum incommoditatum & ærumnarum obsidione solutum ut vires Crucigerorum auxit, sic amissa recuperandi tempus illis & facultatem permisit. Et licet anno post Christum natum 1454. *vide L. III. p. 304.* Status Prussiæ excussô Crucigerorum jugo dominium Casimiri hujus Ladislai Filii & Polonum impetraverint, pro retinendis subditis Provinciis copiosus Polonorum sangvis effusus est; Ordine easdem pertinaciter vindicante. Felicibûs armis frangebantur sæpius illorum vires, Ordinis Magistri in clientelam recepti fidelitatem jurejurando firmabant; insolens tamen Virorum temeritas nunquam coërceri poterat.

Verùm quod robur & virtus bellica Polonorum obtinere non valuit, perfecit hæresis, & in Prussia Crucigerorum Ordinem extinxit. In dies illi à suo Instituto deficiebant; non alienis opibus, non Virginum, matronarum pudicitiæ, non sacris parcebant. Henricus Richtenbergius XXX. Ordinis Magister Theodoricum de Cuba Sambiensem Episcopum, cùm eidem dimidiam pecuniæ partem, quam collegerat à fideli populo pro reparatione Ecclesiarum bellis vastatarum, juste negasset, captivum in ergastulo Tapiaviensi fame enecari fecit. (f) His & aliis sceleribus addiderunt ultimum, videlicet Lutheri errores.

Leo hujus nominis decimus, Pontifex Romanus, Florentinus ex Familia Mediceorum, Ecclesiam S. Petri Romæ in Vaticano à Prædecessoribus suis inchoatam perficere intendebat. Ærarium Pontificium, tum munitionibûs maritimis contra Turcarum insultus redintegratis, tum variis contra eosdem numeratis subsidiis erat exhaustum. Tanto operi ut sufficientes haberentur sumptus, praxi in necessitatibus Ecclesiæ usitata,

(f) *Hist: Pruss: Lib: VII.*

tata, Indulgentias tot ſæculis, tot Conciliis ac interrupta temporum ſerie probatas per Orbem Catholicum eo fine promulgari juſſit. Alberto Brandeburgico Electori Archiepiſcopo Moguntino poſtmodum S. R. E. Cardinali hanc in Germania commiſit provinciam, qui eam in Saxonia Joanni Tetzel Ordinis Prædicatorum contra hæreticam pravitatem Inquiſitori detulit. Vittembergæ (in Saxonia urbs eſt inter primas) adſcitis in ſocietatem laboris Patribûs ſui Inſtituti, munus hoc Joannes obire cæpit & ſtrenue promovit. Devotus undiq; confluebat populus, & liberali manu contribuebat impenſas in Romanam fabricam.

Patres Eremitarum S. Auguſtini ſpe alicujus lucri, aliunde etiam Sacræ D. Dominici Familiæ infenſi, ereptam ſibi hanc occaſionem ægre tulerunt, clam primum in Patres Prædicatores variis confictis calumniis invehebantur, brevi ipſas indulgentias totamq; devotionem, acſi fontem avaritiæ indebiti modi arguebant. Ipſe Joannes Stupitz Vicarius Generalis Ordinis S. Auguſtini in Germania ut PP. D. Dominici in eo impediret, omnem operam adhibere ſtatuit; ſed quia diffidebat viribus, Martinum Lutherum in Academia Vittembergenſi inter Doctores non poſtremum, ſui Inſtituti Virum, hominem ambitioſum, plus vanitati, quàm monachum decebat, deditum in partes traxit. Lætus ea nocendi facultate Lutherus, ut innato faſtui & malevolentiæ, quàm in PP. Dominicanos fovebat pridem, ſatisfaceret, illos & ipſas indulgentias e ſuggeſto inſectari cæpit: nec ore inſurrexiſſe contentus, calamum acuit in Romanam Eccleſiam. Innovavit errores pridem à Conciliis damnatos, (g) eoſq; per theſes publicas anno 1517. in vigilia feſti Omnium Sanctorum valvis Eccleſiæ affixit, & defendendos ſuſcepit.

Natus ille 1483. in Saxonia in villa Mòèr Marchiona-

(g) *Vide Concionem P. Skarga pro Dom: VII. à Pentecoſte.*

chionatûs Mansfeldenſis ad Islebium viliſſimîs Parentibûs, Joanne & Margaretha Lindermanovna: ut ipſe *Tom II. Lat: Colloq; menſal: p. 18.* fatetur: *Ego ſum ruſtici filius de Mòèr circa Islebium, ego natus ex pauperibus Parentibus, Pater pauper fuit foſſor montium, Mater omnia ligna ad rem domeſticam neceſſaria in dorſo importavit. Proavus Avus Pater meus naturâ fuerunt ruſtici.*

Tam vili conditione ortus pro modulo ſatis honeſtè educatus Magdeburgi, Iſſenaci & Erfordiæ operam dedit litteris, in quibus tantum profecit, ut Erfordiæ anno ætatis vigeſimo lauream Philoſophicam obtinuerit. Erat ille ingenii prompti, ſed ut præcoces fructus nunquam maturi ſunt, ita Martinus hic in quavis ætate levis & inconſtantis erat animi: jam Lotter, jam Luterus, jam Lauter dici voluit. (a) Vice quadam Erfordiæ cùm relaxandi animi causâ aſſociatus deambularet, ab ictu fulminis ſocium amiſit; eo comitis ſui caſu territus Luterus Religionem vovit, (b) & voti reus brevi Erfordiæ Ordinem Eremitarum D. Auguſtini ingreſſus eſt. Eminuit inter ſuos ingeniô & ſcientiâ, meruitq; non poſtremos favores; à Joanne Stupitz Vicario Generali Romam in negotiis expeditus, rem cùm ad vota perfeciſſet, redux, Doctor Theologiæ annô ætatis trigeſimo in Academia Vittembergenſi proclamatus, eandem ſcientiam magno cum plauſu confluentibus ad famam tanti viri auditoribus tradidit.

Is itaq; faſtu & opinione doctrinæ inflatus Imperii Maximiliani anno XXIV, Leonis decimi V. in Academia Vittembergenſi licentiæ fræna laxavit: & ut ipſe omnem honeſtatem valere juſſit, ſic omnes ſibi ſimiles contendit. Hæreſis illius primùm à Leone X, tandem à Concilio Tridentino confixa & damnata quos motus in Imperio, & Europa exciverit? quam ſtragem quas

E

(a) *Kwiatkiewicz ſub anno 1488.* (b) *Idem ſub anno 1517.*
Vit: Præf: Tom: III.

quas clades Regnis attulerit? abunde describunt alii: ergo fata breviter attingo.

Annus 1546. omnium sensu dies vero XVII Februarii vitæ illius fuit ultimus. Comites de Mansfeld post obitum Patris sui Catholici, errores Lutheri secuti ad componenda nonnulla negotia Martinum evocârunt Islebium. Ivit famulatu per prædictos Comites ad majestatem fere Regiam submisso, Catharina Borre olim moniali, sacrilegi tori socia, & trina prole comitatus; dum urbi appropinquaret explosione tormentorum salutatus in palatium non tam pro sua, quam horum Comitum dignitate adornatum deductus est cum tubarum & campanarum sonitu. Tandem die XVII. Februarii anno 1546. sumpta laut ore cænâ dum dolorem cordis & intestinorum incusaret, acceptô ad leniendam debilitatem remediô, in lecto depositus, ægritudinis & vitæ finem nactus est anno ætatis LXIII. Aderant morti ejus Jonas Cocus cum Celio, ad quos fatiscens Lutherus dixisse fertur (c) *Orate pro Deo & ejus Evangelio, ut illi succedat; quia Concilium præsens* Tridentinum innuebat, *& Papa*, qui erat Paulus III. *eidem sunt contrarii.* Hæc insana mente & ore impudenti proloquutus, brevi obiit. Cadaver magno apparatu Vittembergam deductum, sed in itinere ob nimium fœtorem derelictum, paucis comitantibûs illatum tumulo.

Damnata Lutheri secta, Principum patrociniô serpebat latiùs, & ne satis esset semel errâsse, errores erroribus addebantur. Germania infecta, plures Provinciæ & Regna, abjecta Patrum suorum religione, ut licentiâ magistrâ omnia auderent, ad pravas in fide opiniones desciverunt. Prussia quoq; à Luthero non fuit aliena. Cruciferi, quibus vita laxior arridebat, ab Ordine & votis parabant recessum, sed metus Supremi Magistri adhuc eos in officio continebat.

Post-

(c) *Kwiatkiewicz sub anno 1546.*

Post obitum Friderici, Georgii Saxoniæ Ducis, Filii XXXIII. Magistri, Albertus Marchio Brandeburgicus annorum XXIV. adolescens, Filius Friderici de Anspach & Sophiæ Filiæ Casimiri Poloniarum Regis in Magistrum electus animum addidit Crucigeris repetendæ à Polonis Prussiæ. Rebus Polonis tum præerat Sigismundus Casimiri Filius, Sophiæ Frater. Albertus, ut suum regimen insigne faceret, gloriamq; immortalem nomini suo compararet per Provincias à Polonis vindicatas, contra Regem avunculum multa moliri orsus est. Vi pactorum *Vide L. III. p. 309.* fidem Regi Poloniæ jurejurando obstringere tenebatur: id ne præstaret, armis efficere tentavit: vario pugnatum Marte, semper tamen faventiore Polonis fortuna. Induciæ alicujus temporis concessæ dabant spatium, quo melius rebus suis consulerent, & sapere discerent Magister & Crucigeri.

Interea dum Albertus anceps hæreret, num bellum intermissum cum Polonis innovaret, num secundum pacta juraret in verba Regis; Fridericus Dux Legnicensis & Georgius Marchio Brandeburgicus Frater Lutherum jam secuti svadent Magistro, ut nec bellum cum Polonis gereret, nec pactis staret; sed ut depositis Ordinis insignibûs Lutheranam sectam profiteretur, & ex Magistro Crucigerorum profanus Dux in Prussia à Sigismundo curaret institui. Placuit Alberto consilium, qui aliunde affectûs erat Lutheri erroribus, illud ut optatum haberet exitum, Fratribus & Duce Legnicensi intercessoribûs apud Sigismundum usus est. Strenue hi opus adorti acceptis nonnullis primoribus ex Nobilitate & Civitatibus Cracoviam ad Sigismundum properârunt. Albertus vero Bitomiam Cracoviâ non procul distantem, ut citius, quæ Principes tentabant, ad eum referri possent, cum suis perrexit.

Post multa cum Senatoribus Polonis consilia, quorum pars magna erant hæretici, dedit aurem Sigismun-

gismundus Ducum postulatis pro Alberto Sororis suæ Filio. Ad eum statum negotium cum perduxissent negotiationis hujus Principes, die X. Aprilis 1525. cum Gerardo Queis & FridericoHeidecioBarone re collata Nunciis Nobilitatis & Civitatum omnia aperiunt, sententiamq; rogant. Factum admirati Nuncii responderunt ingenue: se nihil in mandatis à suis habere, quare, ne in re tanti momenti præcipitarent, sed cuncta domum referrent, flagitare. Offensus eo responso Fridericus, se plena agendi mandata, ait, Regi detulisse, nec illa sine dedecore & læsione tanti Principis revocare posse. Triduum illis concessum, ut vel bellum finitis proximo mense induciis pararent, vel fœdera in perpetuum sancita jure jurando firmarent, vel Principum & Regis sensui subscriberent. Pluribûs ea res congressibûs, nec minoribûs controversiis agitata, tandem in id concessum est.

Albertus datis litteris internuncios excusaret, de privilegiis, juribus, libertatibus subditorum, quibûs sub Crucigeris dudum fuerant usi, de jure Culmensi, immunitatibus, tum vectigalibus novis in futurum non asserendis idonee caveret: præterea pace cum Rege perfecta in Prussiam rediret, & rerum a se per triennium actarum, & qua necessitate ad conficiendum ejusmodi negotium coactus esset, subditis exponeret: Provinciam deinceps non per alienigenas sed per Indigenas gubernaret. Caput verò de successionibus Fratrum Alberti in Ducatum Prussiæ ad deliberationem ipsiusmet, Ordinis & Provinciarum rejectum est.

Rebûs sic conclusis: dum Albertus postulatis Nobilium & Civitatum subscripsisset, conventio inter Regem & Nuncios facta à Statibus Prussiæ & Poloniæ ac ipso Rege Sigismundo, tum Alberto subscripta est. Biduo post solenni apparatu venit Cracoviam Magister Ordinis Teutonici, paucisq; diebûs quieti concessis, ante prætorium Cracoviense sublimi soliô ad hunc a-
ctum

ctum adornatô, Sigismundus insignibûs Regiis conspicuus Marchionem Brandeburgicum Albertum, olim Crucigerorum Magistrum Ducatum flexis genibûs postulantem Ducem Regiomontanum in Prussia creavit, illiq; insignia Ducalia, vexillum aquilæ candidæ cum aurea in collo corona ac torquem aureum contulit. Albertus verò novus Dux Sacramentum fidelitatis & perpetuæ subjectionis Regno Poloniæ & Sigismundo Regi Ejusq; Successoribus præstitit, ac se suosq; Successores in fide ac potestate Regum Poloniæ fore perpetuis temporibus obstrinxit. *Vide Volum Leg; I.* ubi & privilegium hoc habetur.

Hæc omnia litteris consignata Oratores Ordinum Prussiæ, & nuncium de pace cum Regno Poloniæ sancita suis detulerunt. Ipse etiam Dux post brevem Legniciæ moram, quô cum Friderico Duce Cracoviâ excurrerat, venit in Prussiam magna omnium lætitiâ ac faustis acclamationibûs acceptus. Paucis post diebûs congressum Nobilium & civitatum indixit, in quo sua per triennium acta, & initæ pacis conditiones, ac illius motiva jussit prælegi. Pro hac negotiorum cura nomine omnium Georgius Polentz Episcopus Sambiensis publicas grates egit Alberto: Commissarii verò Regii Achatius Cema & Georgius Basenus diploma Sigismundi novo Duci obtulêre, quo Rex Ducatum Prussiæ Alberto confirmabat, privilegia, libertates, immunitates, jura quævis subditorum approbabat, seq; illis contra hostes quosvis patrocinari pollicebatur. Lecta hæc omnia: Status Prussiæ Ducalis jurejurando fidelitatem & subjectionem primùm Regi Poloniæ tum Prussiæ Duci præstiterunt. Albertus quoq; incolis suis litteras confirmationis privilegiorum sigillo Ducatûs & nomine suo consignatas obtulit.

Ita Ordo Crucigerorum in Prussia trecentis prope annis rerum potitus desiit: & quos arma exterminare non poterant, mollis extirpavit hæresis.

ORDO & VITÆ
EPISCOPORUM CULMENSIUM

I.

CHRISTINUS

EX oppido Freynenvaltt oriundus Colnitzii Ordinem Cistercienſium profeſſus, dum virtute & meritis in ſua Religione emineret, in Abbatem Olivenſem electus, brevi à Conrado Duce Mazoviæ ad reſem electus, brevi à Conrado Duce Mazoviæ ad regendam Culmenſem Diæceſim evocatus Romæ progendam Culmenſem Diæceſim evocatus Roma probante Paſtorale ſuſcepit munus, à frequentibus infidelium Pruſſorum armis afflictum. Omnem ille ſolicitudinem & curam adhibuit, ut Pruſſos aut Chriſto lucraretur, aut mitiores redderet; ſed cùm nihil proficeret, author fuit Conrado Duci, ut Fratres Ordinis Teutonici ad coërcendos barbaros conduceret. Horum armis & labore Præſulis augebatur in Pruſſia numerus credentium. Surbanum & Varpodam non poſtremos Pruſſorum Duces ſacro lavit fonte, à quibus Lubavam cum ſuo tractu in dotem Eccleſiæ accepit.

Brevi inſtituto Canonicorum Collegio, eorum adminiculô magnam Pruſſiæ partem Chriſtianam fecit. Tam fortunata fidei initia impedivit Crucigerorum ſeverior agendi modus. Teneros illos Chriſti partus innatâ Religioſis clementiâ tueri debuerant, illi gravibus premebant oneribus, eos in officio retinendos ærumnis, cæteros verò metu ad obedientiâ compellendos arbitrati. Hæc cruda agendi ratio arma dedit populo: *vide L. III. à p. 282.* Sibi & ſuperſtitioni reſtituti Pruſſi extrema tentârunt, non una acie de Crucigeris victores: illorum ferociam deſcripſit Antiſtes, & Librum ſub titulo *Filiorum Belial cum ſuis ſuperſtitionibus* publicæ mandavit luci. Continuis lachrymis deplorabat & Ordinis inclementiam, & Pruſſorum ſævitiam, ſed malo dum

dum mederi non poſſet, mærore confectus anno 1245. obiit juxta Dlugoſſium.

II.

JOANNES I.

PAtriâ Plocenſis, profeſſione D. Dominici Religioſus: variis muniis in ſuo Ordine glorioſè obitis, poſt fata Chriſtini ad Culmenſem Sedem promotus, Religionis damna, Crucigerorum temeritatem, Pruſſorum barbariem deflevit & morte eluit. Ut Ordo Teutonicus de oneribus, ſic Pruſſi de ſua ferocia nihil remittebant. In eo rerum ſtatu, ut ſeditioſum populum ad obedientiam Ordo redigeret, facultates ſuæ Eccleſiæ modico proventu relicto Crucigeris permiſit Præſul, ea conditione, ut hi devictis barbaris, eas ſibi vel Succeſſori reſtituerent. Hoc Antiſtitis facto exacerbati Pruſſi, dum Torunii in ſuburbio Joannes conſecraret Eccleſiam, ſacris operantem, cum templo & populo exuſſerunt.

III.

HEIDENRICUS

HUnc ut Joannem Sacer Prædicatorum Ordo ad Infulas enutrivit. Adhuc cum Chriſtino in Germania juſſu Pontificis Romani contra infideles Pruſſos ad ferendas Crucigeris ſuppetias ſub Crucis vexillum convocabat populum, nec exiguum collegit robur. Factus Præſul egit multum, ut inter Crucigeros & rebelles Pruſſos bellum cohiberet, ſed hi peſſima quæquæ experti crudelis & avari Ordinis execrabantur imperium, in captivos etiam & Religioſos homines, vel ſic injurias ulturi, ſævientes.

Adamus Polonus Ord: Min. Conventualium dum in illorum incidiſſet manus, ut vivus combureretur, impiô ſanxerunt decretô. Stabat accenſus rogus, quem

Religiosus homo intuitus, verbi Divini memor, *cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te* (d) animô minime turbatô ingressus, tribûs vicibûs, ne crine quidem adusto, flammam pertransivit. (e) Hôc & aliis miraculis mitescebant feroces barbarorum animi; Crucigeri quoq; pluribùs malis meliùs sapere edocti agebant clementiùs. Supervenit, & Jacobus Leodiensis Archidiaconus Pontificius Legatus, cujus ac hujus Præsulis operâ ab armis cessatùm, & conditiones, quas Prussi neophyti, & Ordo Teutonicus sacrosanctè servarent, conscriptæ.

Pace sic stabilita, bonaEcclesiæ repetebatHeidenricus, quæ suusAntecessor ad sustinendum bellum Crucigeris permiserat; sed hi viribus freti, tanquam propriam hæreditatem armis quoq; defendere parabant. Cum iniquis possessoribus jure agendum erat, quare ivit Romam, & pro Ecclesia sententiam obtinuit. Proventu & beneficiis ad fidem accedentium Prussorum auctus Culmseæ Cathedralem erexit Ecclesiam. Mendogum Lithvaniæ Ducem in Regem unxit. Juttàm, fæminam vitæ sanctitate claram fovitCulmseæ, in viam æternitatis disposuit, & in EcclesiaCathedrali sepelivit: quæ bona sua exiguo censu ad vitæ tempora relicto, eidem Ecclesiæ donô perpetuô inscripsit.

Hæc ex vetusta Familia in Thuringia Sangerhausen dicta, Patre Alberto, Matre Hedvige nata in Prussia juveniles annos ad omnem modestiæ regulam componebat, favores cæli in hac etiam ætate non semel experta. Ille fuit singularis; dum ignara litterarum, eas Angelo præceptore intra paucos dies didicit. Castitatis amore vitam cælibem agere intendebat, hæc ut sibi permitteretur, lachrymis & precibûs supplex erat Parentibus; cæterum his, præcipue Fratri Joanni (qui postmodum in Prussia septimus Magister rexit Ordinem) morem gerere debuit, In Matrimonium Joanni Kono-

(d) *Isaiæ 43.* (e) *Pruszcz p. 79. Buchinus L. 1. C. 11.*

Konopaccio Baroni elocata solitis devotionibus varias corporis superaddidit ærumnas. Facultate à marito impetrata domos sæpius obibat pedes, egenos, quibus subveniret, inquirens, ubiq; in illos liberalis. Hæc pietatis officia & ipsa Jutta multis erat risui: patienti animô tulit injurias Deum sæpius deprecata, ut sine illius, si fieri posset, offensa, majori omnium esset ludibrio.

Vice quadam cùm prolixiùs oraret, Christus ei apparuit dicens *omnia mea sunt tua, & tua mea.* Visione & voce Salvatoris læta opera misericordiæ, pietatem in Superos ampliavit. In Ecclesiis mora longior & orationis studium offendit conjugem, male etiam suspicandi occasionem dedit; contigit: dum tardiùs domum rediisset, maritus iracundiâ percitus totâ familiâ pulsâ, ut sibi Juttà pisces pararet, severe imperavit. Paruit mandato: acceleravit cibum, & candentem tripodem absq; minima læsione manûs marito detulit: qui rem admiratus veniam delicti petiit, & ut pro seDeo supplex esset, postulavit.

Conjuge orbata cultui Divino liberiùs indulsit, dies noctesq; aut precibus in æde sacra, aut in nosocomio ægrotorum & pauperum obsequio impendere solita. Accidit: in eo charitatis officio cum illam lux defecisset, cælum lumen supplevit. Vice altera, dum eidem operi incumberet, & occasionem nacta humi prostrata peccatorum suorum veniam à Deo ferventiùs exposceret, Christus spectandum se illi præbuit, atq; ut solaretur afflictam, deliciasq; augeret, cruentum latus ad sugendum obtulit. His & aliis beneficiis obstricta ut Deo perfectiùs viveret, tertiam regulam S. Augustini professa est.

Brevi graviore morbo affligi cæpit: diem ultimum imminere sibi sentiens, eum ferventius commendabat Superis, ut essent auxilio. In dies debilior Heidenricum Præsulem advocavit, à quo Sacramentis munita ad

ad finem historiæ de Christi cruciatibus, quam prælegi jussit, spiritum Deo Creatori reddidit. Animam illius Angelicis concentibus in cælum ferri audierunt multi: corpus ad Ecclesiam Cathedralem delatum, miraculis à morte clarum Culmseæ 1260. Heidenricus sepelivit. *Hist: Pruss: L. II. Prusz. p. 91.*

Bzovius scribit hunc Heidenricum (qui etiam Heidnerus, Henricus dicebatur) fuisse primum in Polonia Ordinis sui Provincialem, postmodum Arelatensem Episcopum, in anno verò 1249. ab Innocentio IV Archiepiscopum Culmensem institutum esse; cæterum Culmensis Sedes nunquam fuit Archipræsulea; utebatur quidem ille palliô Archiepiscopali, sed ex ea fortè ratione, quod à suprema Sede habuerit collatum Archiepiscopatum Armacanensem. Quo anno obiit, controvertunt Historici. *Historia Prussiæ* ait illum obiisse 1254 sed cùm vitam Juttæ recenset, hanc sanctam mulierem ab hoc Episcopo sepultam asserit 1260. *Dlugossius quoq;* anno 1264. scribit hunc Henricum cum suis Canonicis suscepisse institutum & vestitum Crucigerorum. *Vide pag: 46.*

IV.

FRIDERICUS de HUSEN

PAtriâ Marpurgensis, professione Cruciger. Devictis, & in suam potestatem redactis Prussis insolens Ordo audebat multa, Civibus & Ecclesiasticis onerosus. Post obitum Heidenrici Canonici congregati, major pars Nicasium Doctorem ad S. Joannem Torunii Parochum, minor hunc Fridericum elegit quare approbationem Romanam uterq; præstolari jussus. Interea pro suo Crucigero promissis & minis agebat Ordo, sed cùm Nicasium cum suis electoribus in proposito constantem vidit, in eorum bona sæviit: ne magis ferociret, Nicasius suæ electioni in rem Friderici cessit.

Nullo contradicente facilè confirmationem Romanam obtinuit Fridericus: & gratus Ordini in primo Sedis aditu relaxavit censuras, quas suus Antecessor ratione bonorum Ecclesiæ Culmensis super Magistro & Ordine latas promulgaverat. Ægra valetudo ad regimen ineptum fecit; quare per alios Diæcesim administravit, bona quoq; Fratri Dipranto à Bambauch Advocato regenda commisit, qui pro suo placito Præsuli & Canonicis necessaria providebat. Obiit 1274.

V.

VENERUS de ORSELE

QUidzini Ordinem Crucigerorum professus. Ut res civiles absoluta potestate tractabant Crucigeri, ita & Ecclesiasticas suas voluntate regere contendebant. Vitâ defuncto Friderico magna pars Canonicorum Valterum Abbatem Pelplinensem, Virum dexteritate & morum modestiâ insignem substituebat, aliqui verò urgente Magistro & discordias fovente hunc Vernerum proclamarunt. Valterus modestiæ Religiosæ amore, & metu temerarii Ordinis electoribus suis egit grates, monuitq; ut voto insolentis Magistri satisfacerent. Episcopatum adeptus Vernerus ut Sedem Culmensem Crucigeris domesticam efficeret, Canonicorum Collegium hujus Instituti viris implevit, aliis, ut idem profiterentur, author fuit. Ægrè eam rem tulit Clerus, quare Archidiaconum, qui unicus de Clero superat, hortatus est, ut eam dignitatem in quempiam Summo Pontifici familiarem transferret, atq; hic rursus in alium; unde factum, ut Roma Archidiaconatum Culmensem pro suo placito disponeret. Vixit Vernerus 1291. die XX. Octobris, Culmseæ sepulchrum nactus.

VI.

HENRICUS CRUCIGER

ADnitente Magistro ad hanc Sedem evectus, quam vitæ

vitæ probitate & morum innocentiâ meruit. Eam dignitatem prædixerat Henrico Jutta, sed & plures ærumnas in Episcopatu denunciavit. Cruciger ille, multa tamen à suo Ordine pati coactus est: Insuper quas Ordo suâ in solentiâ injurias aliis causaverat, eas innocens Præsul eluit. Cuidam Equiti Polono Dobrinensi grave damnum intulerant Crucigeri, id ut Polonus resarciret, varios modos adhibuit; sed cùm nullus succederet, votis hac viâ potitus est. Comite Sacerdote Henricus simplici curru vectus ibat Engelsburgum, obvium nactus Nobilis, ad proximam deduxit sylvam, & contumeliosè habitum detinuit. Ubi nam Præsul esset? sciri non potuit; licet in eo perquirendo sedulam Magister curam adhibuisset. Tandem post aliquot hebdomades dimissus ea conditione, ut causam injuriati Equitis apud Ordinem promoveret, & 4000. fl. numeraret: pactum datis litteris confirmavit & subscripsit Henricus. Libertati restitutus negotium Nobilis Poloni fortiter promovit & obtinuit, alteri conditioni ut satisfaceret, pecuniam colligebat, quam ne elargiretur, mors impedivit. Munere & vitâ defunctus 1301.

VII.

HERMANNUS de PRIZNA

HIc quoq; Ordine Teutonicorum volente successit Henrico. Equites prædicti fidei per suos Majores datæ Polonis immemores, non habuere satis in regiones Polonorum sævire, quemvis suorum ab omni eorum jure alienum contendebant: authores fuêre hujc Hermanno ut jurisdictione Metropolitani Gnesnensis prætermissâ & excussa, Archiepiscopo Rigensi in Livonia subjectus esset. Fecit, quod à Crucigeris imperabatur. Non tulit eam injuriam suæ Ecclesiæ Jacobus Swinka Archiepiscopus Gnesnensis; officii admonuit Hermannum, & pertinacem decretô Romanô suæ Metropoli asseruit. *Vide L. I. pag. 64.* Obiit 1311. Ut memo-

memoriam sui reliquisset, arcem Fredec seu Wąbrzezno murô cinxit.

VIII.

NICOLAUS I. AFRI

IN Sacro Prædicatorum Ordine eminuit scientiâ: in arbitrum conscientiæ à Joanne XXII. assumptus, ejus favore Culmensi Sedi designatus est. Magno doloris sensu reperit patrimonium Ecclesiæ, à Crucigeris usurpatum: iniquos possessores Romam evocavit, & causam Ecclesiæ lucratus est: à malevolo Ordine multa passus; pati & vivere desiit anno 1325. Gedani apud PP. sui Instituti sepultus. Hunc & ejus Antecessorem Hermannum prætermisit Naramowski; sed utriusq; meminit Possellius in Historia Polono Pruthena. Nicolai præterea epitaphium descripsit Severinus in vita S. Hyacinthi.

IX.

OTTO

ORdinis Procuratorem in aula Pontificia Romæ agenti scripsit Vernerus Magister ut Episcopatum Culmensem impetraret pro Thoma, quem ipse Sedi Apostolicæ commendabat. Sibi Otto faventior eandem Sedem obtinuit, & in Præsulem consecratus est. Dum ingressum pararet, oppositum Magistrum expertus, Romanam institutionem frustra allegabat, ad dispositiones Summi Pontificis surdô Vernerô, & jus suum quod erat nullum, fortiter tuente. Eas difficultates cùm aliter superare non posset, Ordinem promisit: admissus ea conditione, quam tamen ut expleret, de die in diem differebat. Longè magis offendit Crucigeros, cum dotem Ecclesiæ, quam suus Prædecessor jure obtinuerat, restitui postulabat; exulare coactus, iras Magistri ut vitaret, multo tempore delituit: res tamen interveniendibus amicis composita; Episcopus Ordinem profes-

professus est, bona tamen nusquam recepit.

Primus in sua Diæcesi Synodum celebravit, in qua paræciæ 113. totitemdq; earum Rectores, Vicarii & Altaristæ, ac qui propriô vivebant patrimoniô 538. numerati sunt. In illa leges variæ, quibus clerus regeretur, sancitæ. Sic ordinata Diæcesi cùm undecem Canonicis 1340. peste obiit. Ea notitiâ acceptâ Summus Pontifex novum Canonicorum cætum è Clero institu-it, statuitq; ne quispiam à Magistro sub amissione omnium privilegiorum ad institutum Crucigerorum traheretur.

X.

JACOBUS I. BISCHOFF

EX Administratore Episcopatus Regiomontani sive Sambiensis Henrico Dusener promovente, probante Roma Culmensem adeptus Sedem, qui alienam Diæcesim optime administravit, propriæ non defuit. Pro bonis Ecclesiæ Culmensis Prædecessores sui cum Ordine jure agebant Romæ, in lucro decisiones & decreta sortiti: eorum possessionem ut repeterent, pertinax Crucigerorum avaritia nec imperiis Romanis flecti, nec censuris adigi poterat. Longam litem finivit Jacobus, bona incursionibûs bellicis, & malitiâ Crucigerorum vastata recepit, & cum Canonicis divisit, qui ad Ecclesiam Cathedralē ut essent assidui, muneriq; suo attenderent, decretum Summi Pontificis obtinuit, quo absentes proventu privabantur.

Precibus multum insumebat tempus: vitio id à multis vertebatur, quasi mora hac Diæcesis curam intermitteret; & cùm ea de re admoneretur, *quid vobis* ajebat *longior in oratione videor; cùm multas oves habeam, multum etiam orandū est.* Dierū plenus mortalitatē exuit XIX. Junii 1359. Culmseæ sepultus. Ejus temporibûs circa annum 1343. organa in Prussia primum audita sunt: illa ex XXII. fistulis perfecit quidam Religiosus

giosus Ord: Min: multosq; præcones & spectatores operis tanti nactus est. *Hist: Pruss: Lib: III.*

XI.

VIGBOLDUS

EX oppido Nossen Diæcesis Coloniensis oriundus D. U. J. Vinrici Crucigerorum Magistri favores meruit, cujus promotione ad Culmensem Sedem evectus, dum immunitatem Ecclesiasticam tueretur, Vinrici & totius Ordinis incurrit odia. Pro injuriis Varmiensis Ecclesiæ, pro prædiis in qua usurpatione per avarum Ordinem inceptis Joannes Steifrocus Varmiensis Antistes *Vid. L. III. p. 292.* decertabat jure apud Romanum Pontificem: Lata pro Ecclesia sententia, & toti Ordini, nisi ablata restitueret, sacris interdictum est. Accessit & altera censura: Archiepiscopus Gnesnensis ob denegatas suæ Ecclesiæ decimas, contumaces Crucigeros communione fidelium privavit: pænam hanc suis Suffraganeis Præsulibus denunciandam commisit; Summi Pontificis & sui Metropolitani decisioni paruit Vigboldus, censurasq; latas per suam Diæcesim promulgari jussit.

Hæc publica pænarum denunciatio, quæ terrere & ad officium Crucigeros reducere debuerat, magis ferocire fecit: in Antistitem odiis, injuriis, in facultates Ecclesiasticas hostiliter sæviit Magister. Tempori cedendum ratus Vigboldus præmissô Nossam aureorum viginti unius millium subsidiô, annuente Summo Pontifice Joanni Schadlant Ordinis D. Dominici dignitatem Præsuleam detulit, ac Diæcesi exul voluntarius valedixit. *Hist: Pruss: L. III.*

XII.

JOANNES II. SCHADLANT

IN Ordine PP. Prædic: virtutibûs & eruditione alisq; naturæ dotibûs ita eminuit, ut testimoniô Beieslinck

linck (f) primùm Vormatienſis Præſul, Legatus Pontificius, tum Culmenſis Antiſtes inſtitutus fuerit Ob familiaritatem, quæ inter eum & Magiſtrum arctior interceſſerat, rem Eccleſiæ ſperabatur optime adminiſtraturus, ſed à Magiſtro non admiſſus in Vormatienſi Sede obiit anno 1383. Scribitur & Halberſtadienſem rexiſſe Sedem. Romæ verò cùm eſſet, Auguſtanæ Eccleſiæ præfectus eſt, ſed huic dignitati, ob tumultus civitatis, ſponte ceſſit *Nieſiecki Tom I.*

Cùm Joannes à pertinaci Magiſtro ad Sedem Culmenſem non admitteretur, Vigboldus quoq; exularet, Quidam Reinhardus Canonicus Culmenſis electus fuit ſed à Romano Pontifice non confirmatus, quòd ceſſio Vigboldi coacta cenſeretur. (g) Obiit interea annô tertiô exilii ſui Vigboldus, quare vacanti Sedi à Summo Pontifice proviſus eſt Martinus Archidiaconus Culmenſis, Papæ familiaris, & Magiſtri Ordinis Capellanus.

XIII.

MARTINUS

FAma de conſtituto novo Culmenſi Præſule ubi pervenit in Pruſſiam, ne imperiis & deciſioni Romani Pontificis adverſari videretur Ordo Teutonicus, Conradus Celner Magiſter officioſas ſcripſit litteras recens inſtituto Antiſtiti, libenter ſe permiſſurum eidem aditum ad Epiſcopatum, modo cenſuras Eccleſiaſticas in Ordinem latas relaxandas & condonandas impetraret. Diſplicuit ea conditio Martino, quare pro immunitate Eccleſiaſtica potiùs rem ſtrenue promovit, & obtinuit. Adiit Epiſcopatum nihil audente Magiſtro, & Pontificis mandatis obtemperante. Ad ſpeciem & ficta humanitate acceptus, & ad convivium invitatus hauſit venenum, quo altera die à ſolenni ingreſſu ſuo extinctus deceſſit. *Hiſt: Pruſſ: L. III.*

XIV.

(f) *in Theatro vir.* (g) *Hiſt: Pruſſ: L. III.*

XIV

NICOLAUS II. SCHIPENPIEL

ROmæ degenti Canonicorum & ſua vota detulit Conradus Celner Ordinis Magiſter, eam tamen adjecit clauſulam, ut ſi Epiſcopus vellet fieri, Inſtitutum Ordinis amplecteretur: reſpondit ingenuè Nicolaus: Religioſis votis obſtringi rem arduam eſſe, Crucigerorum verò inſtitutum profiteri, & Epiſcopatum aſſequi, impoſſibile; cùm Pontifex Maximus Bonifacius IX. de Ordine malè perſvaſus eſſet; quare negotium paulo differendum. Ea de causâ langvide Præſuleam curabat dignitatem, tandem non parvis impenſis confirmationem obtinuit, & in Præſulem conſecratus eſt.

Plaudentibûs Crucigerîs adiit facilè ſuam Sedem eamq; moderari pacificè annum integrum permiſſus eſt. Magiſter cùm Nicolaum promiſſis non ſtare adverteret, ut nomen daret Ordini ſeverè eundem admonuit: ad minas reſpondit Antiſtes: *ſe id promiſiſſe, quod ſibi eſſet ſalutarius: animæ periculum faceret, ſi Ordinem amplecteretur; nolle ſe huic miſceri cœtui, qui perpetuô in Chriſtianos & Polonos fertur odiô.* In ea ſententia dum perſiſteret, Epiſcopatum cum Joanne Kropidlo Camienſi Præſule commutare coactus eſt. *Hiſt: Pruſſ. Lib: III.*

XV.

JOANNES III. KROPIDLO

AMbitione ſua non uni præfectus Diæceſi, Vladiſlavienſi reſtitutus, in ea ſupremum diem obiit. *Vide Lib: I. p. 74. L. II. p. 41.*

XVI.

ARNOLDUS

F Vit. *Viſ: Pruſ: Tom III.*

VIr facundiæ rarioris Conrado Juningen promovente Culmensis Antistes, nomine Crucigerorum contra Polonos plures obivit legationes, obsequii tamen sui & laboris in præmio retulit odia à malevolo & ingrato Ordine. Pacis conditiones inter Ladislaum Jagellonem & Conradum Juningen Magistrum totumq; Ordinem in Castro Raciąz Diæcesis Vladislaviensis 1404. subscripsit. (a) Vitam deposuit Lubaviæ 1416. *Niesiecki L. I. Harnocht Dissert: XIV.*

Ejus temporibûs peculiari castitatis amore enituit puella, quæ post obitum Matris, & Patris cædem in prælio Grunvaldensi solam nobilitatem generis & virtutem in dote habuit. Fuit illa in obsequio Mariæburgi civis cujusdam, eodemq; temporis spatiô supplevit officium cubicularii adolescentis nobilis, qui alios dignitate antecedebat. Liberalis puellæ forma læsit juvenem, quare, ut aditum ad familiaritatem sibi pararet munusculis eam obligare cæpit; accepit virgo munera non alia mente, quam quòd sibi persvasisset illa dari suæ sortis commiseratione. Beneficentia hæc non parvo duravit tempore: demum amore victus juvenis, longo usus circuitu, vulnus mentis suæ tandem Virginia peruit, ac se oculis ejus captum professus est. Exhorruit puella ad mentionem criminis, & amore pudicitiæ prohibitioneq; Divina arceri se à scelere asseruit: precibus minas superaddidit, & ad vota sua paratam esse jussit procax adolescens; lachrymis respondit virgo, quibûs minime moveri dum illum cerneret, satius se oculorum, quos adeo in se amaret, quam virtutis jacturam subire malle, impavida subjecit. Sperabat adhuc protervus leno puellam vincendam promissis, ea innovavit, utq; ad sua desideria signô datô præsto esset, postulavit ardentiùs. Periculô liberata virgo totam noctem insomnis duxit de sua integritate anxia. Vix dies illuxit, altiore mota instinctu oculos eruit, ac impu-

ro

(a) *Volum Leg: I. Dlugoss: L. X.*

ro juveni transmittit cum mandato: ut illis uteretur, quos adeò dilexisset. *Hist: Pruss: Lib IV.* Castitas ejus multis laudibûs celebrata: adorârunt singuli virginitatis exemplum, admirationi & cultui, non imitationi propositum.

XVII.

JOANNES IV.

IN Ordine Prædicatorum eruditione & variis præfecturis eminuit: ex Provinciali Poloniæ ad regimen Culmensis Ecclesiæ assumptus, afflictæ bellis Diæcesi cura & solicitudine Pastorali fuit solatium. Quo anno obiit, siluit antiquitas. *Nowowiejski* in Descript: Ordinis sui in Polonia, seu in Phænice redivivo scribit illum sepultum esse Brestæ in Cujavia in Templo PP. sui Instituti; sed annum prætermisit. Meminit illius *Bzovius in Propag: Severinus in Vita S. Hyacinthi. Hist Possilii Polon Pruthen.*

XVIII.

JOANNES V. MARGENAU

Marcænaro dicitur à Niesieccio

PRofessione Cruciger, ex Administratore Episcopatûs Pomesaniensis promovente Magistro Culmensis Præsul, ab Archiepiscopo Gnesnensi consecratus, per annos ferè triginta variam sortis vicissitudinem expertus, meritorum plenus obiit Torunii anno 1462. *Harnocht. Dissert: XIV.* anno 1457. scribit illum obiisse Torunii & Culmseæ sepultum esse: eodemq; anno electum Bartholdum; quem *Naramowski & Hist: Pruss: L. VI. & VIII.* Bartholomæum vocat: sed quòd fidelitatem Casimiro Regi Poloniæ obstringere jurejurando renueret, sede sua ejectus est. *Hist: Pruss: L. VI.*

Temporibûs hujus Joannis Nobilitas & Civitates Prussiæ, cùm crudelitatem Crucigerorum ferre ultra

F 2 non

non possent, se suaq; omnia pleno jure Polonis devoverunt anno 1454. *Vide L. III. p. 304.* Pro suis libertatibus & privilegiis Prussia annis aliquot bellô cruentô cum decertaret, ad limites inter Germaniam & Galliam florebat eremi incola rerum prædictione celebris: hunc duo Crucigeri, qui Colbentiæ manebant, ne agnoscerentur, Ordinis vestitu deposito, supplices adierunt, de eventu belli soliciti & curiosi. In primo limine arguit eorum temeritatem in mutato amictu, ad postulata verò respondit: *In Prussia nec religio, nec pietas, nec vita honesta reperitur amplius, Fratres Teutonici ansere Bohemico* (Hussum, quæ vox apud Bohemos anserem denotat, indigitabat) *ducuntur, & ejus pennis gaudent: in Ordine Teutonico in Prussia modo nihil aliud invenies, nisi superbiam, honorum & divitiarum cupiditatem, dolum, injustitiam, violentiam, dominandi libidinem: horum quem exitum suspicari potestis, nisi pessimum? Intuetur Deus universa hæc, Ordinem omnibus bonis, quibus illum abunde ampliavit, propter scelera tanta privaturus.* Hist: Pruss: L. V. Præter eam rebus Crucigerorum Viri hujus comminationem, malum fuit omen, casus prodigiosus, quem se vidisse Cruciger Michaël de Pelborg natione Saxo retulit pluribus anno 1453. Viderat ille uno anno bellum domesticum in Prussia præcedente, die Purificationis B. M. V. in Mariæburgensi Castro, Fratribus Laicis Ordinis pro more ad sacram Eucharistiam accedentibus omnes hostias paratas & consecratas disparuisse. *Dlugossius L. XIII.*

Commune hoc totius Ordinis infortunium morte sua prævenit Conradus Erlihausen XXVII. Ordinis Magister vitæ continentiâ & castitate commendatus. Cum æger e dolore calculi decumberet, inducebatur à medicis, ut malo remedium adhiberet à consvetudine cum aliqua muliercula: exhorruit ad tam impium consilium, graviterq; facinus tantum svadentes coarguit: *Non permittat Deus*, exclamavit, *ut corpus, quod Chri-*

stus lavit, meretrix coinquinet. Nescitis, quòd fornicatores & adulteros Deus judicaturus sit? melius est calculo premi ad tempus, quàm igne infernali uri in perpetuum. Sicq; mori elegit, quàm coinquinari, posteris integræ conscientiæ & virtutis relinquens exemplum. *Hist: Pruss: Lib: V.*

XIX.

VINCENTIUS GOSŁAWSKI
Kiełbasa dictus
Fasciâ pro Stemmate insignis.

PAtre Fulcone, Margarethâ Matre genitus. Casimiri Regis Poloniæ singulares favores meruit: ex Canonico Gnesnensi, Regni Secretario Culmensis Antistes 1467. Romæ in Ecclesia S. Luciæ à Joanne Brixiensi Episcopo, Urbis Vicario in Præsulem consecratus (b) per pacis conditiones 1466. anni inter Poloniam & Crucigeros Pomesaniensem quoq; Ecclesiam ad vitæ tempora administravit. *Vide L: III. p. 310.* Ab obitu Pauli Legendorff Varmiensis Episcopi, Diæcesi huic & Ducatui, ut is in officio Polonorum esset, à Rege præfectus est, sed in populum sibi commissum paulò erat severior, quàm decuit Episcopum. Obiit Lubaviæ. *Harnocht. Hist: Pruss: Naramowski* scribunt illum obiisse anno 1480. *Dlugossius* anno 1478. *Bielski* 1479. *Niesiecki Tom I.* 1489.

XX.

STEPHANUS de NEINDENBURG

BArtholomæum Vincentio successisse scribit. *Hist: Pruss: L. VII. & Naramowski. Harnocht verò Dissert: XIV. & Niesiecki Tom I.* hunc Stephanum Successorem Vincentii annotàrunt. Stephanus hic ex Canonico Culmensi, & Elbingensis Ecclesiæ Rectore ad Sedem Culmensem

(b) *Niesiecki Tom: II.*

mensem evectus est promoventibus, Joanne & Nicolao Baseniis, juramentum fidelitatis Regi & Regno Poloniæ præstitit. Ære dives Antistes, hilariis & conviviis deditus, ea de re à Canonicis monitus, mutavit genium, & facilè emendavit vitium. Anno 1495. vitâ defunctus, Culmseæ sepultus est.

XXI.

NICOLAUS III. CHRAPICKI
De Stemmate Rolicz

Rosa est triplici dente aratri circumdata.

EX Varmiensi Canonico Culmensis Antistes, præstitô fidelitatis sacramentô Culmseam cum arce pro Ecclesia Culmensi apud Alexandrum Regem impetravit. Cum possessoribus bonorum Episcopatûs egit in conventu Torunensi ac Mariæburgensi, & patrimonium Christi vindicavit, aliquas tamen facultates redimere jussus est. Lubaviæ PP. Ord: Min: de Observantia, quos e Saxonia conduxerat, locavit, templum à fundamentis & Religiosas ædes erexit. Suæ Sponsæ non immemor, eam adornavit aurô & argentô, aliaq; pretiosa supellectili. Ultimam ætatem podagrâ variisq; morbis affectam transegit lenta febri consumptus 1514 Sepultus Lubaviæ in Ecclesia PP. Ordinis Minorum de Observantia.

XXII.

JOANNES VI. KONOPACKI
Muro pro Stemmate insignis.

MAthia Succamerario Culmensi, Matre ex Familia Vaselrode genitus: Georgii Castellani Culmensis ex assidua mortis meditatione per annos 30. in urna sepulchrali quiescere soliti, & Helenæ Vexilliferæ Pomeraniæ, Samuelis Konarski Consortis, e cujus ore post

post obitum in Ecclesia Topoliensi crevit lilium (c) Avus.

Prussiæ Thesaurarius cùm rebus fluxis nuncium misisset, Mariæburgensi paræciæ præpositus, superstite adhuc Chrapiccio 1512. in Episcopum Culmensem consecratus est. Incidit in illa tempora, quibûs Martinus Lutherus suos errores latè diffundebat. Irrepserat malum hoc in multas Prussiæ civitates. Joannes Coppius Erfordiâ oriundus Medicinæ Doctor, Lutheri assecla cùm Torunium 1522. venisset, piscium cibos tanquam sanitati noxios sub specie artis suæ damnabat & prohibebat: à parvis itum ad majora. Torunenses apud Sigismundum I. impetraverant jus emporii, in eumq; finem intendebant granaria & domos exstruendas idoneas mercibus deponendis. Operi tanto deerant impensæ; quare congregabatur sæpius Magistratus, consultabat, nullo tamen aut exiguo consiliorum suorum fructu.

Supervenit interea ad eam Urbem Doctor Flichendeutsch qui non ita pridem fidei & instituto Religioso nuncium remiserat, Lutherum secutus. Hic eam nactus occasionem cùm operâ Coppii perversos Urbis primores in avita Religione langvere adverteret, & de impensis in fabricam anxios; facilè persvasit occupandas cænobiorum opes. Hominis impii consilium dum in publicum prodiisset, Torunenses Religiosos latere non potuit. Quare illorum aliqui thesauro Ecclesiæ suæ metuentes, ne totum amitterent, quadringentas argenti marcas ad promovendum opus ultro obtulere Civitati. Pro subsidio egit gratias Magistratus, sed adhuc centum marcas injunxit. Brevi res ipsa Catholica magna ex parte succubuit, multis ex Magistratu & primis Civibus Lutheri sectam palam profitentibus.

Et quia huic hæreticorum ausui non obstitit Konopaccius, vapulat à multis: cæterum à Durievio defendi-

F 4

(c) *Niesiecki Tom II.*

fenditur, fcriturq; fuiffe pietate infignis, humanitate in egenos confpicuus. Ejus curâ præfente Nuncio Apoftolico libri Lutheri ad rogum damnati, in foro Torunenfi per carnificem exufti funt: malum tamen, quod in animis hominum altas radices fixerat, evelli non potuit. Suæ Ecclefiæ Præful hic non exigua præftitit beneficia; bona illius reftauravit & arcibus contra hoftium infultus munivit. Obiit Lubaviæ 1530.

XXIII.

JOANNES VII. DANTISCUS

AD Varmienfem Epifcopatum affumptus. *Vide L. III. p. 325.*

XXIV.

TIDEMANNUS GISSA

ET hic Prædecefforem fuum fecutus eft. *Vide L. III. pag: 327.*

XXV.

STANISLAUS I. HOSIUS

IN Ducali Varmienfi & Romana Purpura eminuit. *Vide L. III. p. 328.*

XXVI.

JOANNES VIII. LUBODZIEYSKI

De Stemmate Fafcia

TAnto Præfuli, ut erat Hofius, hic Joannes ut fuccederet, dignus vifus eft: & quantus effet? patet ex ejus elogio. *Vir eloquiô præftans, moribûs antiquîs, antiquitatis admirator & cuftos, abftinentiâ præterea fingulari, procul erat ab ambitione.* (d) Omnia egit, quæ pietas & morum integritas exigebat. Starogardæ 1562. vitam in melius mutavit, in fua Ecclefia Culmfeæ fepultus.

XXVII

(d) *Niefiecki Tom: III.*

XXVII.

STANISLAUS II. ZELISLAWSKI

De Familia Pilavitarum

EXcultam fcientiis ætatem Sacro Ciftercienfium Inftituto confecravit; ejufdem Ordinis Pelplini Abbas. Quantæ virtutis fuerit? ex ejus dictis abunde liquet: *Non expedire Chrifti fervis* ajebat frequentius *eorum, qui fæculo ferviunt, domos frequentare, aut confvetudine uti, ficut enim pifces de aqua eductos continuo langvere, & emori folere, fic clericum & monachum extra cœnobii fepta vagantem, fi confabulationi vacaverit, ad cordis tepiditatem redigi, & circa fpiritualia exercenda, effici tardiorem.*

Qui optime fuos Religiofos rexerat, ut & Diæcefim vitæ exemplo & inftitutis gubernaret, ad Culmenfes Infulas evocatus eft. Pingvedo obefum fecit, hæc tamen moles corporis in curis Paftoralibus non erat impedimentum in omnibus ftrenuo Antiftiti. Mendacium horruit ut hoftem, illudq; nec in fe nec in aliis paffus eft. Obiit 1571. Lubaviæ fepulturam nactus.

XXVIII.

PETRUS I. KOSTKA

De Stemmate Dabrowa vide p. 35.

FAmilia primis in Polonia fangvine connexa, in fago & toga emerita, in Joanne Palatino Sandomirienfi, ad Regnum Poloniæ candidato, ejus electionem poft abitum Valefiii e Polonia, ipfo Selimo Turcarum Imperatore promovente (e) coronis digna: in Divo Stanislao faftis Sanctorum adfcripto, aris admota, hæretica labe nufquam contaminata (f) Patre Mathia S.

Sta-

(e) *Fredro.* (f) Erroribus per Poloniam tam latè vulgatis, nunquam fere Koftkarum generofitas hæretica labe maculata fertur. *Sacchinus Hift: S. J. Part: III. Lib: IV.*

Stanislai Patruo, Barbara Komorowska Matre hunc Petrum Orbi dedit.

Lovanii Parisiis sub Joanne Maldonato S. J. Theologicis scientiis indolem expolivit, quam ubiq; insignem præsetulit virtutibûs & meritis abunde cumulatam. Ab obitu Zelistavii toto prope trienniô vacabat Culmensis Sedes: illi & toti Diæcesi per hæreses & insolentes Apostatas afflictæ parabatur Antistes, qui esset solatium & præsidium: melior hoc Petro dari non poterat.

In Præsulem consecratus in primo Diæcesis aditu sedulam adjecit curam, ut Ecclesiæ ejusmodi Rectoribus instructæ essent, qui à grege arcerent lupos. Synodum convocavit, quam, ut ejus acta & leges præsto haberentur, typis impressit. Bona Episcopatûs iniqua possessione usurpata recepit, alia proprio ære redemit. Lubaviæ ædes Religiosas à Nicolao Chrapiccio in hac Sede Prædecessore conditas, quas temeritas insolens hæreticorum fæde vastaverat pulsis PP. Ordin: Min: de Observantia, restauravit & Patribus ejusdem Instituti ex Polonia accitis restituit: idem præstitit Culmæ PP. S. Francisci (ut vocant) Conventualibus. Ibidem Deo dicatarum Virginum Ordinis D. Benedicti cænobium ad pristinum deduxit decorem, & Magdalenam Mortęska Neptem suam, Antistitem instituit. Martinum Laterna S. J. anno 1576, postmodum pro fide ab hæreticis cùm in Sveciam pergeret, in mari submersum sacro Diaconatûs Ordine initiavit. (g) Societati JESU, quam singulari fovit amore, locum Torunii, & dotem cum Magdalena Mortęska paravit, ne illam introduceret, mors impedivit: inchoaverat Seminarium pro eruditione Cleri Diæcesani, sed bene cæpta idem fatum interrupit, quo ad Superos evocatus, naturæ cessit anno à partu Virginis 1595. die XV. Januarii: ætatis suæ anno LXII. Culmseæ sepultus cum hoc brevi elogio *scriptis*

(g) *Sacchinus Hist: S. J. Part: IV. L. IV.*

ptis domi & foris clarissimus. Laudes illius unâ Poloniâ contineri non poterant.

Illas expressit S. Carolus Borromæus Cardinalis in datis ad eundem litteris: *Virtus Tua* (scribit hic Sanctus) *& in nobili ista Ecclesia administranda fides ac diligentia verè Pastoralis facit, ut pro meo in Tui similes studio, has ad Te litteras exarandas esse, mihi putem. Quæ cùm ita se habeant, magnopere Ecclesiæ Culmensi gratulor talem nactæ Pastorem, qui ad vitæ sanctitatem morumq; integritatem eximiam etiam solicitudinem adjungit, ad gregem suum omni virtute informandum. Deo autem gratias, quas maximas possum, ago; quòd beneficentiæ suæ opes tam liberaliter in Te benignèq; contulerit.* Rossesius quoq; maximas illius dotes brevi calamô complexus est. *Petrus Kostka verè in culmine generosi & liberalis animi positus, ut non immerito cum Paulino Episcopo Nolano conferri possit. Adest præterea illi linguæ suavitas, sermonis lepor, eloquentia varia* (præter lingvas patriam & latinam, apprime didicerat Italicam Gallicam Germanicam & Græcam) *Philosophiæ celebris notitia, ingenii perspicacia, judicium maturum, sagax & promptum, affabilitas, eximia morum suavitas, ut cùm videris hominem, & paulo mores ejus perspexeris, ejus capiaris amore.*

Ejus temporibûs annô 1589. Prussia ad Tribunal Regni Poloniæ accessit. *Leg: Volum: II.*

XXIX.

PETRUS II. TYLICKI

Obiit in Cracoviensi Sede. *Vide L. I. p. 342.* Illô gubernante Diæcesim Culmensem, Jus Prussiæ correctum publica Regni lege in Comitiis 1598. approbatum est. *Volum Leg: II.*

XXX.

NICOLAUS V. KOSTKA

De Stemmate Dabrowá vide p. 35.

JOannis Castellani Elbingensis & Margarethæ Eclemberkowna Filius, Petri Culmensis Episcopi Nepos. Varmiensis Canonicus, demum Pelplinensis Religiosus ac ejusdem cænobii Antistes. Insolens hæreticorum avaritia Ecclesiarum & cænobiorum facultates dispensante Luthero juris sui fecerat, idem fatum accidit & inclyto Pelplinensi Religiosorum cætui, qui ad eam rerum penuriam devenit, ut vix quatuor personas alere posset. Pro dote Religiosa & Christi patrimonio egit strenue Nicolaus, bona vindicavit, & ne litem aliquam relinqueret, limitibûs distinxit. Hanc illius in rebus tractandis dexteritatem advertit Sigismundus III, & post ascensum Petri Tylicki ad Sedem Varmiensem, ut Culmensi Ecclesiæ præesset, maximè idoneum censuit; sed optimas Regis intentiones immatura mors Nicolai anno eodem 1600. antevertit.

XXXI.

LAURENTIUS GEMBICKI

AD Vladislaviensem, demum ad Gnesnensem Sedem translatus est. *Vide L. I. p. 15.*

XXXII.

MATHIAS KONOPACKI

Muro pro Stemmate insignis

GEorgii Castellani Culmensis & Annæ Kostkowna Filius, primam ætatem obsequiis Patriæ in statu Equestri & curulibus Senator consecravit, sæpe ad Comitia Regni & in variis Poloniæ negotiis Legatus, Succamerarius Culmensis, Graudentinus Præfectus demum Culmensis Palatinus. Mortua Consorte Elisabetha Dulska Castellani Culmensis & Regni Thesaurarii Filia, Sacris initiatus Laurentio Gembicki in Culmensi Sede successit. Omne Religiosus Præsul impendit studium, ut ædes sacras, quas hæresis usurpaverat, hæredibus

bus Catholicis restitueret: egit rem feliciter; non furor, non potentia hæreticorum obstitit piis conatibus Mathiæ. Duobûs annis præfuit Diæcesi, longiori ætate dignus Antistes, 1613. vitâ defunctus. Ultima voluntate disposuit, ut funus suum absq; omni apparatu celebraretur, & lapidi sepulchrali hæc præfigeretur inscriptio: *Hic jacet Konopacki Episcopus Culmensis.*

XXXIII.

JOANNES IX. KUCZBORSKI

De Stemmate Ogończyk vide p. 28.

EX Gnesnensi Scholastico, Archidiacono Varsaviensi, Cracoviensi Præposito Culmensis Præsul regimen Diæcesis à cultu Deiparæ inchoavit (Sierpsci ad aram Deiparæ Virginis auream laminam ponderis justi & pretii ex voto appendit) & fortunatum expertus est.

Insolens Torunii hæresis audebat multa: odiô variisq; oneribûs Catholicos, injuriis contumeliis sacros cætus afficiebat, ut hos urbis ausus comprimeret, Reipublicæ Inquisitores impetravit, qui temerarios in officio continuerunt. Obtinuit præterea severiores ad Magistratum litteras, quibûs admonebatur civitas continentiæ & modestiæ erga SS. Eucharistiam, dum hæc ad infirmos deferretur. In agendo prudentia & studium efficax hujus Antistitis, ut erat omnibus perspectum, sic in pluribus Reipublicæ negotiis enituit.

Sub tempus belli Svetici in Livonia loci incolæ fide fracta Regi & Reipublicæ Polonæ Regis Sveciæ partes secuti, facultatibûs & opibûs ex publicis Provinciæ illius proventibus ditati, suîs consiliis & divitiis vires augebant Sveticas. Perfidia tanta non latuit Regem & Ordines Poloniæ: quare ad eam supprimendam, arcium præfectos in officio & fidelitate retinendos, ad inquirendum, proventus Livoniæ quem in finem conversi essent? Sigismundus III. & Respublica designavit

Com-

Commissarios, quorum Principem hunc Joannem constituit. Brevi cùm Curlandia & Semigallia, adhuc in anno 1569. regnante Sigismundo Augusto jure fiduciario Gothardo Kietler in Comitiis Lublinensibus approbata in suo regimine turbaretur, Kuczborski ex mente Reipublicæ 1617. formam regiminis eidem Provinciæ definivit, & legibus circumscripsit.

Ex bonis Paternis & Episcopatûs operâ Sebastiani Krzywkowski Ensiferi Plocensis multas collegit opes, eas ut in pios usus expenderet, sequenti visione admonitus est. Vice quadam ad quidpiam sibi deferendum ex ærario, famulum ire jussit; paruit ille, & in arca auro repleta Præsulem Kuczborscium sedentem reperit. Ea specie territus pedem retraxit, & rem Antistiti tremebundus detulit. Narrationis veritatem exploraturus Joannes locum adit, & dum rem ita se habere, ut referebat famulus, videt: *Id habes solatii* inquit: *ex his opibus, quod illas custodieris; non erit, cui postmodum attendas.* Niesiecki Tom: II.

Ab eo tempore liberalem in Christi membra extendit manum. Collegium Torunense PP. S. J. beneficiis auxit, & pro alumnis ad idem Collegium dotem numeravit, ut in litteris & pietate excolerentur usui & decori Diæcesis suo tempore futuri. Eosdem Patres primus Bidgostiam introduxit, fuisq; fovit gratiis. Cùm suprema infirmitate decumberet, nullam Ecclesiam, nullum cænobium, nullum prætermisit nosocomium, cujus non sublevâsset inopiam. Ultima voluntate Nepoti suo solam Crucem Præsuleam è collo pendentem, in memoriam, quòd Patruum habuerit Episcopum, reliquas verò opes Sigismundo III. in commodum Reipublicæ, in subsidium egenorum disposuit. Omnem pompam funebrem prohibuit, utq; solò Cleri cantu & Missarum sacrificiis funus suum celebraretur, præscripsit. Promovebatur ad Episcopatum Plocensem, sed hunc ascensum mors impedivit: quæ illum post decem annorum

norum regimen anno 1624. rebus humanis exemit. Sepultus Torunii in Ecclesia S. Joannis cum ea inscriptione: *Hic jacet Joannes Kuczborski Episcopus Culmensis peccator, oretur pro eo.*

Valentini Kuczborski Archidiaconi Pomeraniæ in Libris Epistol: Virorum Illustr: reperiuntur Epistolæ Stanislao Karnkovio adhuc Vladislaviensi Episcopo scriptæ plenæ zeli pro Religione Catholica & Ecclesia contra sectam Lutheri.

XXXIV.

JACOBUS II. ZADZIK

AD Cracoviensem Sedem translatus. *Vide L. I. pag: 359.*

XXXV.

JOANNES X. LIPSKI

IN Gnesnensi Metropoli obiit. *Vide Lib: I. pag: 199.*

XXXVI.

GASPAR DZIAŁYNSKI

De Stemmate Ogonczyk vide p. 28.

ABavis, Proavis, Avis in Regno & Prussia Senatoriis curulibus distinctis & Genti suæ domesticis, cum primis Familiis in Polonia & Lithvania junctis sangvine, Patre Michaële Palatino Brestensi Cujaviæ, Cemianka Matre, Filia Palatini Pomeraniæ genitus, Nominis dignitati, Majorum factis, meritis in Patriam & Ecclesiam abunde respondit. Ætatem optimis moribus & scientiis excultam impendit primùm obsequiis Poloniæ. Anno à partu Virginis 1629. ex Palatinatu Junivladislaviensi ad generalem Regni conventum Legatus ad Tribunal Regni Radomiense Judex, munus exacti Judicis & Legati adimplevit: brevi contra Svecos sagum induit. He-

Horum armis atterebatur Prussia, Adolphus Gustavus ferox successibûs *Vide L. I. p. 355.* urbes, arces, oppida, hujus Provinciæ vi & astu occupaverat: vastatâ Prussiâ imminebat Poloniæ; ad comprimendum hostem Dux exercituum Koniecpolski vario pugnavit Marte. Gaspar ne afflictæ deesset Patriæ, proprias immolavit facultates, suo ære legit militem, docuitq; superbum hostem non una clade, Poloniam serò licet, sed seriò tractare arma. Interea Principum interventu inter Poloniam & Sveciam aliquot annorum pactæ induciæ; Gaspar cùm hostis abesset, ut sibi melius & Deo vacaret, Sacro Ordini nomen dedit, ac ut in Orbis sacrario ad normam Apostolicam vitam institueret, Romam perrexit, ubi Sacris initiatus, in Templo S. J. Romano primam Deo litavit hostiam.

Redux in Patriam omnem movit curam & impensas ad ædificandas, adornandas & ditandas in bonis suis Ecclesias. Liberalem præcipue extendit manum ad erigendam à fundamentis Sacram ædem Bidgostiæ Patrum S. J. quam eleganti opere perfecit, ejusdem Collegii singularis Tutor & Pater. Deferebantur tanto Viro dignitates Ecclesiasticæ, Decani Vladislaviensis munus vix suscepit. Consentiente Ladislao IV. Mathias Łubienski Vladislaviensis Præsul suum intendebat Successorem, Regi & Mathiæ pro eo favore prolixas egit gratias, mero esse contentus. Cæterum post ascensum Lipscii ad Gnesnensem Sedem, Culmensem Episcopatum suscepit, Rege & Innocentio X. eam dignitatem ultrò deferentibus.

Præsul consecratus Diæcesim moderari aggressus est à comprimenda Torunensium hæreticorum audacia. Joannes Kuczborski Regiis fretus litteris, morem induxerat, ut Sacra Eucharistia palam ad infirmos deferretur. Gaspar, ut Eucharistico Numini suus esset cultus, frustra fremente hæresi solennem die Corporis Christi processionem instituit, utq; hæc in consvetudinem

nem abiret, severa Reipublicæ obtinuit mandata. Pakosci (bona sunt Działynsciana) cænobium & Ecclesiam PP. Ord: Min: de strictiori Observantia condidit, ubi postmodum Sigismundus Działynski Palatinus Calissiensis, Calvariam, id est Mysteria cruciatuum Christi, ad mensuram Hierosolimitanæ erexit. Plura Præsul hic pro bono Religionis & Ecclesiæ intendebat, sed podagræ dolores, variæq; infirmitates studiosum Antistitem Diæcesi & Patriæ inviderunt. Obiit annô ætatis suæ 49. Christi 1646. Lubaviæ. Culmseæ in sua Cathedra, in qua vivens sepulchrum sibi struxerat, magno Familiæ & Diæcesis luctu sepultus.

XXXVII.

ANDREAS I. LESZCZYNSKI

AD Gnesnensem Metropolim ttanslatus. *Vide L. I. pag: 169.*

XXXVIII.

JOANNES XI. GEMBICKI

AD Plocensem Sedem assumptus est in Vladislaviensi obiit. *Vide L. II. p. 80.*

XXXIX.

JOANNES XII. LESZCZYNSKI

De Stemmate Wieniawa

Caput est bisontis habens sphæram auream per nares pendulam.

VEnceslai Regni Cancellarii & Annæ Rozrażewska Filius teneram ætatem in scholis Calissiensibus S. J. adultius ingenium in variis Academiis expolivit. Redux ab exteris Abbas Paradisiensis, ne Religioso duntaxat cætui præesset, Joannes Casimirus effecit, & sua nominatione ad Kioviensem Ecclesiam, brevi 1656 ad

ad Culmensem promovit. utramq; beneficiis, & Pastorali studiô adornavit Joannes. Variis ea temporum vicissitudine bellis affligebatur Polonia, in ejus perniciem Chmielnicciô cum rabie rustica, Svecô, & aliis hostibus conjuratis: ad impetrandas suppetias Ratisbonam ad Status Germaniæ ivit Joannis Casimiri Legatus, sed exiguas obtinuit. Eo in itinere Nomen Orbi notum & dignitatem Præsulis adoravit Academia Ingolstadiensis, cum illi Theses ex Juris Prudentia defendente Joanne Steczewicz dedicavit. Reduci in Patriam altiores parabantur Infulæ, ne emeritum caput cingerent, mors invidit, quæ Antistitem omni dignitate majorem anno 1657. eripuit.

XL.

ADAMUS I. KOSS

De Stemmate Koss

Juxta Okolscium: *Tres sunt campi rubri, tres albi coloris, alternis locis dispositi, à parte dextra in sinistram inclinati.*

FAmilia Romanis Consulibûs oriunda, in Joanne XXIV. juxta Platinam Maxima, in Ursinis par Summis & Eminentissima, in Polonia verò domesticis dignitatibus insignis hunc Adamum genuit: qui præcelsa indole suis respondens Natalibus virtutum & meritorum gradibûs promovebatur ad Ecclesiæ dignitates. Archidiaconus primùm Varsaviensis, Abbas Mogilnensis, demum Culmensis Præsul vitæ optimæ exemplô, eruditione præclara, morum svavitate, humanitate præcipua, in brevi tempore maxima emensus, trium annorum Antistes, omnium dolore præesse & vivere desiit 1661.

XLI.

ANDREAS II. OLSZOWSKI

OBiit in Archiepiscopatu Gnesnensi. *Vide L. I. p. 181.*

XLII.

XLII.

JOANNES XIII. MAŁACHOWSKI

IN Cracoviensi Sede successit Trzebiccio. *Vide L. I pag. 369.*

XLIII.

CASIMIRUS I. JOANNES OPALENSKI

Navi pro Stemmate insignis.

PEtrô Palatinô Calissiensi, Catharinâ Leszczynskâ Roguslai Pro Cancellarii Regni Filia genitus, nondum natus parari videbatur ad Infulas; dum latus Parentis eum uterô ferentis mitrâ Præsuleâ insignitum apparuit. Altioribûs excultus scientiis redux ab exteris, Posnaniensis Cathedræ Cancellarius, brevi Bledzeviensis Abbas, ac anno 1680. promoventibûs Joanne III. & Stephanô Wierzbowski Episcopô Posnaniensi, Innocentio XI. probante, successor ejusdem Stephani sub titulo Præsulis Diocletiæ consecratus est. Bona Bledzeviensis cænobii ut ab hæreticis colonis essent libera, legem sanxit, qua omnes hæresi infectos exesse jussit: hoc suo mandatô multos Ecclesiæ Catholicæ lucratus, dum hi errores, quàm solum & suas colonias deserere maluerunt. Rokitnæ (locus est PP. Ordinis Cisterciensis celebris Imagine Deiparæ Virginis) Ecclesiam erexit, ipsamq; Iconem pretiosis monilibûs adornavit.

Post translationem Małachovii ad Episcopatum Cracoviensem, vacabat Culmensis Sedes, eam Joannes III. confirmante Innocentio XI. detulit Opalenscio; Respublica verò ex publicô Regni Varsaviensi congressu 1683. ad componendum ratione Elbingæ cum Duce Prussiæ negotium Casimirum sui juris vicarium & Commissionis Principem designavit. Re ad vota Patriæ peracta bona Turow in Prussia emit pro sua Ecclesia, in quibus paræciam condidit, & ad instruendum po-

pulum Rectorem instituit. Gaspar Działynski ejus in hac Sede Prædecessor die sacro Corporis Christi solennem per plateas Torunenses, usu in Ecclesia Catholica accepto, Eucharistiæ cultum primus instituit, & mandatis Regiis confirmavit. Tam sanctæ consvetudini non nihil intermissæ morem gessit Casimirus. Solenne non nihil intermissæ morem gessit Casimirus. Solenne Catholicorum agmen cùm impedire non possent in fide dissidentes, ad tempus prandii furorem distulerunt. Vix mensæ accubuit Antistes, cùm fremere hæretici, signum dare, armata plebs concurrere, ædes, ne quis elaberetur, cingere, easq; adoriri & impugnare ausi sunt.

Interea à Magistratu deputatus adit Præsulem, multum dolere, inquiens, urbis primores, & moveri plurimum hac Episcopi injuriâ, sed quia hanc in populo publica diei cerimonia causavit, tumultum aliter sedari non posse, nisi puncta à Magistratu submissa Præsul subscriberet & consignaret. Accepit scriptum Antistes, & quia illo authoritas, jurisdictio Episcopi & ipsa Religio circumscribebatur, zeli plenus cum Principe Apostolorum Petro *etiamsi mori oportuerit, non Te negabo* exclamavit: tum ad illum civem conversus: *Prius* inquit *hic moriar, antequam ego & fides mea leges à vobis accepturæ sit.*

Præcipui è Clero & qui mensæ aderant, insolitæ rei exitum præstolabantur sibi & Præsuli metuentes. Perturbatam illorum mentem advertit Casimirus, quare ut ad extrema quæquæ paratos redderet, brevi adhortatione facta: *Quicunq; Domini est* inclamat, *jungatur mihi* mox fores aperire mandat, & solo crucis simulacro armatus prodit. Factum Antistitis admirati hæretici, seditiosum pedem retrahunt, & viam, quam vix cuipiam permiserant, Episcopo facilem concedunt. Ivit Præsul imperterritus, rectaq; templum adiit, ubi ante majorem aram prostratus se in victimam pro Deo pro Religione obtulit: ac post fusas cum lachrymis preces solennem contra facinus hæreticum in ipso altari scripsit

psit querelam, quam Actis Regni publicis intulit. (a) Egit postmodum jure, satisq; habuit, ut Torunenses, in diuturnius temeritatis suæ punitæ monumentum, Templum Cathedrale Culmseæ repararent, & turrim erigerent. Multa egit pro commodo suæ Ecclesiæ & totius Diæcesis, plura meditantem, mors 1693. humanis exemit.

XLIV.

CASIMIRUS II. JOANNES SZCZUKA

De Familia Grabitarum

JUventutem in arena litteraria, ulteriorem ætatem in Martis acie expolivit. Afflictis Joannis Casimiri temporibûs in perniciem Poloniæ fata conjurâsse videbantur: undiq; armis cinctæ Provinciæ ultimum metuebant interitum. Varmia, Prussia gemebant sub jugo Svetico: Major Polonia eodem malo involuta, magna pars Minoris Poloniæ ivit in prædam huic exotico militi: Regum coronatrix Cracovia eidem cessit: Częstochovia fortiter oppugnata, ope duntaxat Miraculosæ loci illius Virginis hostili potentiæ restitit. Varsavia ac Ducatus Masoviæ non erat fortunatior. Ukraina Duce Cosacorum rebelli Chmielniccio Tartaricis Moschoviticis auxiliis superbiente dominium Poloniæ excusserat: eodem furore rustico Russia, Lithvania correpta erat ac vastata. In tam acerba & misera rerum vicissitudine consilio & auxilio fuit Patriæ Casimirus. Arcem Pilcensem, quam Svetica potentia juris sui fecerat, oppugnavit, & lege hosti scripta obtinuit, lociq; hæredi Warszyccio, tum Cracoviensi Castellano meliùs custodiendam restituit. Bellicâ fortunâ usus arcem Krzepicensem cinxit, eam Oxembart Sveciæ Generalis, (qui clari montis munitionem oppugnabat) forti præsidio tuebatur, sed heroëm expertus, pluribûs suorum amis-

(a) Zaluski in Libro Duo Gladii.

sis, aliquot tormentis relictis, Częstochoviæ non ita pridem molestis, virtuti Casimiri cessit. Victorem exercitum admovit postmodum Petricoviæ, qua potitus militem præsidiarium, qui ex Polonis lectus erat, traxit in partes Regias. Tam felices armorum Casimiri progressus Rex in Ukrainam promovit 1656. anno. Attritæ Berestecensi prælio seditiosorum vires augebantur denuo, Cosacis instinctu suorum Ducum animum erigentibûs, sed Szczuka efficaci in rebus tractandis modô seditionis Ductores mitiores fecit.

Sic optime de Patria meritum civilibûs honoribûs Rex adornare intendebat; & dum Casimirus Sagum cum sacra commutasset toga, variæ offerebantur Viro Ecclesiasticæ dignitates, at Religiosam Paradisiensis cænobii vix admisit Præfecturam. In primo aditu possessionis templum ornatu suo spoliatum auxit pretiosa supellectili, religiosas ædes magna parte restauravit, non minore à fundamentis erexit. Ecclesias Łomzæ Tarczyni in meliorem redegit formam. Varsaviæ nosocomium, quod aleret egenos, condidit. Dotibûs naturæ, morum affabilitate præcipuos affectus meruit Joannis Casimiri, Michaëlis, Joannis III. Poloniæ Regum: promovebatur à singulis ad varias Infulas, hæ ut aliis cederent, omni allaboravit studiô, pluresq; sua commendatione fecit Præsules; unde communi vocabulo dicebatur: *Creator Episcoporum.* Illius tamen modestiæ vim intulit Joannes III, magnisq; rationibûs obtinuit, ut Sedem Culmensem admiserit. Regimen Diæcesis breve magnitudine beneficiorum ampliavit. Culmæ PP. S. Vincentii à Paulo cætum auxit proventibûs, ad eandem urbem Puellas de charitate introduxit, & liberali dotavit manu. Accidit, cum sexigâ Varsaviæ veheretur, rheda luto adeò inhæsit, ut magno conatu vix extrahi potuerit. Casum admiratus Antistes, subridens Canonicus Varsaviensis inquit: *hac in urbe ubivis locorum commodè absq; obstaculo vehebar bigis, nunc sub Præsule sexiga*

fatiscit: quanti oneris est Episcopalis dignitas? Tantum Antistitem commune omnibus fatum terris invidit. Obiit 1694.

XLV.

THEODORUS POTOCKI

AD Varmiensem promotus Sedem, in Gnesnensi Stanislao Szembek successit. *Vide L. 1. p. 192.*

XLVI.

JOANNES XIV. KOSS

De Stemmate Koss vide p. 98.

JOannis Palatini Culmensis, & Mariannæ Wolffowna Filius: ex Palatino Livoniæ Augusto II. pro movente Nominatus Culmensis, sed confirmationem Romanam morte prævenit 1713. Quantus Vir fuerit? vel ex eo patet; dum Augustus II. Serenissimo Filio suo Augusto (qui immortalis memoriæ Parenti in Regno Poloniæ successit) exteras nationes lustranti supremum aulæ Mareschalcum designavit. Plus, quam dignitas hæc requirebat, effecit Joannes, cum Principis Regii suis obsequiis, prudentiâ in agendo cor adeò possedit, ut illud regere videretur: præterea dexterrima sua svasione, & motivis fidei flexit ad optima natum Augusti animum, cùm hic Serenissimi Patris exemplum secutus, Lutheri dogmata suæ Saxoniæ domestica exosus, Religionem Catholicam cum admiratione totius Europæ amplexus est.

XLVII.

JOANNES XV. BOKUM

De Stemmate Paprzycá

In campo coloris albi lapis est molaris, in cujus vertice octo canes prostant.

JOannis Henrici Dapiferi Lithvaniæ & Branicka Filiæ Joannis Succamerarii Cracoviensis Filius. Romà reducem Cracoviense, tum Gnesnense & Varsaviense Collegium suum Canonicum salutavit. Nuncius fatorum Joannis III. tristem Poloniæ faciem deferens, ivit Viennam ad Leopoldum Cæsarem, ad Rempublicam Venetam, Romam ad Innocentium XI, ab eodem Pontifice creatus utriusq; Signaturæ Referendarius, ab Augusto verò II. Regni Secretarius, brevi Georgio Donhoff in Premisliensi Sede successit. Post obitum ejusdem Donhoffii ab eodem Rege promovebatur ad Cracoviensem Episcopatum, sed Roma Bullarum expeditionem differebat; quare ne in una Sede Joannes delitesceret; Regni jam Pro Cancellarius Premisliensem cum Culmensi commutavit: in qua annis quatuor exactis subitô fatô extinctus est 1722.

XLVIII.

FELIX KRETKOWSKI

De Stemmate Dolęga vide p. 13.

ARchidiaconus Culmensis, Ejusdemq; Episcopatus Sede vacante Administrator, Vladislaviensis Cancellarius, Gnesnensis Præpositus, Tribunali Regni sæpe præfuit, & majora sibi deberi ex justitia probavit. Merita Viri coronavit Augusti II. favor, dum illum sua nominatione ad Culmensem Sedem disposuit. Probante Roma in Præsulem consecratus, gloriosa regiminis sui initia, & rem Catholicam magno doloris sensu afflictam spectavit.

Anno 1724. die XVI. Julii Torunii ad ædem sacram D. Jacobi, Deodicatarum Virginum Ordinis S. Benedicti, ad cultum publicum circa Ecclesiam SS. Eucharistia deferebatur. Quidam ex adstantibus Lutheri asseclis tecto in contemptum capite oculos omnium in se convertit; à Catholico itaq; studiosô primùm monitus

tus

tus, demum dejectô galerô ab eodem jussus est Eucharisticum adorare Numen. Tumentem hæreticum adeò movit hic sui contemptus, ut consciis Urbis Primoribûs violenta manu studiosum Catholicum ceperit: conventi Civitatis Præsides pro libertate studiosi, nihil detulerunt postulatis. Studiosa Catholicorum juventus ut talionem redderet, eoq; modo suum vindicaret asseclam, artis litterariæ hæreticum adolescentem captum in suo detinuit Lyceo.

Hoc factô mota furore hæresis, plebs in impium ausum concitata scholas Catholicas invadit, grassatur, omnia solo æquat. Nec satis habuit profana diruere, ut augeret facinus, sacra Congregationum altaria dissecat, Collegium Societatis JESU ruptîs violenter foribûs intrat, & quæ vesana dictavit rabies, perpetrat. Sacellum domesticum Sanctissimam Eucharistiam continens perfractis repagulis involat; Divorum icones dilacerat, acinacibûs confodit, nonnullas effigies & statuam Deiparæ, ac Sanctorum hujus Regni Patronorum, aliorumq; effert, accenso igni imponit, comburit, perq; ignem imagines cremantem saliens varias blasphemias in Matrem Sanctissimam, cæliq; Cives effreni in omnem licentiam lingva effutit. Stabat quidem Civitatis miles agens spectatorem non defensorem tumultûs, donec tristis hæc scena in feram noctem protracta scelesto ausui finem imponeret. Et fortè tenebrarum beneficiô pejora tentâsset plebs insolens; nisi stipendiarius Regni miles duce ipso Acatholico furentem licentiam cohibuisset.

Dum dies illuxit, mæstam Catholicis detexit ruinam: ipsa hæresis vidit, quæ egit, & subsultans exultavit: auxitq; indigna, cùm factis scommata superaddidit, ac famosum libellum, vulgo Pasquillum foribus Collegii S. J. affixit.

Temeritas hæc ad Judicium S. R. M. delata, cujus primô decretô ad investigandum factum designati Commissarii

missarii

missarii, Viri muniis in Republica gestis & dignitate insignes: Illustrissimi Christophorus Szembek Vladislaviensis, Andreas Stanislaus Kostka Załuski Plocensis, Episcopi: Stanislaus Chomentowski Masoviæ; Jacobus Rybinski Culmensis, Ignatius Działynski Pomeraniæ, Palatini: Adamus Poninski Gnesnensis, Andreas Dąbski Brestensis Cujaviæ, Petrus Czapski Culmensis, Castellani: Georgius Lubomirski Succamerarius Regni: Dominicus Sieninski Decanus Gnesnensis Officialis Vicarius in Spiritualibus Gedanensis: Jacobus Dunin Regens Cancellariæ Majoris Regni: Michaël Węzyk Archidiaconus Varsaviensis: Franciscus Radzewski Succamerarius Posnaniensis: Aloysius Humanski Culmensis & Varsaviensis Canonicus: Joannes Kczewski Succamerarius Mariæburgensis: Josephus Nakwaski Præfectus Ciechanoviensis: Paulus Jarosłewski Vexillifer Plocensis: Franciscus Poninski Dapifer Posnaniensis: Joannes Franciscus Roscisżewski Plocensis, Michaël Kalszteyn Mariæburgensis, Judices Terrestres: Casimirus Piwnicki Ensifer Livoniæ: Ignatius Dąbski Junivladislaviensis, Joannes Piwnicki Culmensis, Notarii Terrestres. Cæpta Commissio in Septembri ejusdem anni. Ausui addidit hæresis ausum novum: errorum præco & minister ut nuptiis civis cujusdam lætiùs alluderet, per impressum typo scriptum illusit Catholicæ Religioni, Ejusq; Capiti Romano Pontifici.

Cùm munus impositum absolvissent Commissarii, denuo Varsaviæ ipso conventûs generalis Regni actu inchoatum Judicium, cui præerant Senatores, Status Ministri, Nuncii utriusq; Gentis, ventilata causa, lectæ inquisitiones, auditæ Partes, & multorum querelæ, uti nomine Ecclesiæ Torunensis, Deo dicatarum Virginum, ac Catholicorum Urbis ejusdem. His aliquot hebdomadarum spatio finitis condignum sceleri latum est decretum: ejus puncta præcipua hic breviter adjungo.

Medietas Catholicorum in Civitatis Magistratu paria

paria cum Acatholicis subsellia occupet. Præses Urbis & Vice Præses alternis vicibûs sint Religionis Romanæ, Secretarius Civitatis semper sit fidei Orthodoxæ. Scholæ hæreticorum extra Urbem transferantur. Famosus libellus, de quo supra, in foro per carnificem comburatur. Ministri sectæ Lutheranæ Ostow & Geret proscripti ex Regno declarantur. Ecclesia Deiparæ Virginis ante annos circiter 162. Patribus Ord: Min: erepta eisdem cum gymnasio Lutherano, ea suppellectili & bibliotheca, quæ ablata fuerat, restituatur. Resner Urbis Præsidem, Cernik Vice Præsidem capite plectendos decernit, bona prioris fisco Civitatis adjudicat, quæ usq; eo possidebunt Patres S. J. quousq; Civitas præscriptam in vim damnorum pecuniæ summam non exsolvet. Hayder, Mochaupt, Hertel, Hans, Krysztöfft, Beker, Mercz, Wąż sutor, capite plectantur, ut pote invalores, violentiarum patratores: eidem panæ subjacei aut Imaginum combustores & blasphemi Karwiza, Szultz Iglarz, Hafft, Piernikarz Gotbrot, sed prævia manuum dextrarum amputatione. Corpus Karwizæ in quatuor partes dilaniatum, blasphemorum Szhultz Hafft, Gotbrot extra civitatem comburantur: Thomam Burgrabium & Cymerman Consulem à suis officiis Judiciûm removet, sessionem tamen turris civilis Torunensis in una ab actu Commissionis futuræ septimana inchoare, & Cymerman per annum dimidium, Thomas Burgrabius per duodecem hebdomades sub pæna infamiæ explere jussi. Meysner Consulem, Videmejer Secretarium ad evasionem per juramentum proximos adinvenit. Graurok Præfectus militiæ Torunensis, Zylber Ductor unius *quatyer* in fundo sessionem turris Civitatis per annum & sex septimanas impleant, in egressu de turri Zylber 100. Graurok 50. aureos Hungaricales Actoribus solvant sub pæna infamiæ & colli. Prætermitto plures, qui ad carceres Torunenses condemnati sunt. Valter verò Heyna & Hancowa Vidua pro filio suo

per

per quinquaginta aureos contribuere jussi pro exstruenda columna marmorea cum Deiparæ Virginis effigie eo in loco, in quo non ita pridem ejus Sacra Imago & aliorum Sanctorum Icones scelestô incendiô combustæ erant. In hoc Decreto plures voces videntur esse, ut vocant Latinæ puritatis amantes, barbaræ; sed in jure Polono usitatæ sunt.

Ad exequendum Decretum designati à Republica Commissarii; præviis Officii sui litteris, (b) V. Decembris ejusdem anni 1724. Torunium supervenerunt fundataq; jurisdictione, lectô Decretô, ac per Partem Actoream præstitô juramento (ut in ejusmodi causis jura Polona volunt) ad carnificem pro sumendis pœnis judicatos & condemnatos remiserunt. Dies VI. ut pote, D. Nicolao Myrræ Præsuli sacra vacabat. Tandem Feria V, mensis Decembris VII. in vigilia Immaculatè Conceptæ Virginis MARIÆ suo sangvine ignem restinxerunt rei, quem in Matrem Sanctissimam & Divos temerarii accenderant.

Nondum ferali spectaculo illuxit dies, cùm accensæ faces præluxere morti Resner Urbis Præsidis, qui intra aream Torunensis Curiæ circa horam quintam matutinam caput ferro submisit, felix si errores Lutheri priùs deposuisset. Reliqui pleno die circumscriptas decretô eluerunt pœnas. Unus Cernik Urbis vicePræses, pro cujus vita supplicabant Catholici, religiosi postulabant cœtus, qui sua orthodoxis testabatur obsequia, misericordiam & clementiam Judicii obtinuit, vivere permissus.

His expeditis stante suis ordinibus armato milite à Commissariis deducti PP. Ord: Min: de Observantia in Polonia Bernardini, alibi Franciscani dicti *Vide L. I. p. 242.* ad Templum B. V. MARIÆ, quod illis per publicum præconem post 162. annos alienæ usurpatæ possessionis non sine adstantium lachrymis traditum est, recon-

(b) *Innotescentiales in jure Polono vocantur.*

reconciliante illud Illustrissimo Szczuka Suffraganeo Culmensi. Postera dies MARIANA, Immaculatæ Ejus Conceptioni dedicata tota in Virgineum cultum abire visa non sine immortali Serenissimi AUGUSTI gloria; dum ea Ecclesia, quæ ex manibus Catholicorum sub Sigismundo Augusto perierat, sub Serenissimo AUGUSTO rebus Patriæ, rebus Religionis SECUNDO ad fideles manus rediit. Eo modo hæreticorum Torunensium insolens licentia his Reipublicæ Judiciis punita & compressa est. Pro coronide inscriptionem in columna MARIANA aliquot post annis structa exaratam appono.

D. O. M.

Sisyphum hic agit impietas
Et vindicati honoris MARIANI
ponit monumenta
Omnem movit lapidem
ut deprimeret
at Astris intulit
MATRIS DEI, VIRGINIS MARIÆ
Gloriam
Stabit hoc in marmore cultus
DEIPARÆ
Decretô Serenissimi Augusti II.
zelô Reipublicæ Polonæ
Erectus.
Ad lapidem hunc ne offendas
Viator,
Terminale furori inscribit pietas
Non plus ultra
Anno Domini MDCCXXX.

Annus

Annus ætatis, quo erecta columna hæc, annotatus est: illam solenni ritu benedixit Kretkowski, & lætus monumentô puniti sceleris, anno eodem 1730. in optima senectute supremum diem obiit.

XLIX.

FRANCISCUS CZAPSKI

De Stemmate Leliwa vide p. 24.

FRancisci Miroslai Succamerarii Mariæburgensis, Prussiæ contra Svecos gloriosi defensoris, quos multis in locis fortunato profligavit Marte, arces contra eorum insultus defendit, plures vindicavit, & Evæ de Von Holtt Filius. Tanto Parente natus adolescebat & parabatur ad maximas in Patria dignitates. Sed Deo servire elegit; sacram indutus togam, inter Canonicos Culmenses adlectus, ut arctius cælo se obstringeret, Religiosum Cisterciensium Ordinem Pelplini amplexus est, in quo ad omnes regulas compositus, aliorum norma vixit. Skoroszevius Abbas Pelplinensis ætate gravis cùm viribûs deficeret, omnibûs probantibûs solo Franciscô invitô tantæ modestiæ & virtutis virum laboris & officii socium constituit, cui defuncto pleno jure successit. Et ut non unum cætum regeret, totius Provinciæ votô Ordini in Polonia universo Vicarius Generalis præpositus est. Illum ea svavitate & providâ in omnes curâ rexit, ut à singulis Pater adoraretur & Patronus Ordinis Cisterciensis antonomasticè vocaretur. Templum & ædes Religiosas Pelplinenses fecit comptiores: Pogutkis verò (bona sunt Ordinis) Ecclesiam de solido muro opere magnifico erexit.

Viri hujus virtus ne intra Religiosos parietes delitesceret, Kretkovio postulante, Augusto II. annuente, aprobante Clemente XII, in Episcopum Dianensem cum jure successionis in Episcopatum Culmensem consecratus, post fata Kretkovii Diæcesis regimen auspicatus

est. In ea dignitate sola authoritate Præsulea eminuit, semper Religiosus, cunctis affabilis, Sacrarum Familiarum & pauperum amor. In tanto Antistite multa sibi ominabatur res Catholica; sed spem omnium antevertit mors immatura, quæ longiores dies meritum anno à partu Virginis 1733. mortalibus eripuit.

L.

ADAMUS II. GRABOWSKI

ACta illius vide inter Varmienses. *L. III. p. 361.*

LI.

ANDREAS III. KOSTKA ZAŁUSKI

OBiit in Cracoviensi Sede. *Vide L. I. p. 380.*

LII.

ADALBERTUS LESKI

De Stemmate Leski

Scutum est divisum, in cujus parte utraq; canis venaticus erectus prostat.

FAmilia in Prussia antiquissima Von Entzelik seu Leselicht, unde, sive etiam à bonis hæreditariis Leszcze in Palatinatu Culmensi sitis, more in Polonia usitato, Lesciorum nomine vocata (c) hunc Albertum Joanne Assessore Judicii Terrestris Culmensis Patre, Anna Trzcinska Matre Orbi dedit. Aluit omnium spem magnam optima indole & eruditione instructus juvenis, sed dum plurimorum votis ferebatur ad maxima, cunctorum antevertit desideria, ubi fluxis rebus valere jussis Sacrum Cisterciensium institutum Pelplini professus est. Cæterum qui civiles in sæculo vitavit dignitates, ad sacras moribûs & virtute maturus in Religione

(c) Niesiecki Tom. III.

gione adolevit. Vix Religiosæ vitæ jecit fundamenta, ut Pelplinensi cætui præesset, omnium votô, dignus visus est. Ad regimen cænobii evectus Prior, brevi ad Vąchocenses Religiosas Infulas evocatus, demum Pelplinensis Abbas Deo dicatam Familiam optimis moribûs imbuit, & gloriosam reddidit. Ubi verò in Galliam ad generalem conventum Provinciæ Legatus venit, spectavit & adoravit Virum Consilii Ordo integer, prudentiam in decidendis rebus intimius perspexit, & Definitorem instituit. Plenus gloriæ in Patriam redux Polonum Cistercium moderari jussus, laudatam semper fecit Provinciam. Statuta Otdinis tam antiqua, quàm novissima per conventus generales & Provinciales pro suo Polono Ordine sancita singulari collegit studiô, ac permissu Andochii Pernoz Cistercii Generalis Abbatis typis mandavit.

Et quia Sacra Cisterciensium Familia ut in exteris Nationibus, sic in Polonia eos Viros nanciscitur, qui non tantum inter Religiosos parietes eminere, sed Præsulea authoritate diæcesibus præesse, Senatum implere, Regnis & toti Ecclesiæ saluberrimis prodesse norunt consiliis; post ascensum ad Cracoviensem Cathedram Andreæ Załuski, Augustus III. ad Culmensem Sedem promovit Adalbertum, probavit nominationem tanti Antistitis Benedictus XIV. 1747. in Præsulem consecratus, lustrata Diæcesi omnem curam adhibuit, ut illa ex integro Christiana esset; quare gentem Judaicam, quæ in pluribus locis domicilium fixerat, suisq; artibûs extendere stationes curabat, communicatô cum Nobilitate consiliô, per suum decretum exesse jussit. Cajetanum Sołtyk in Episcopum Emausinum Episcopatûs Kioviensis Coadjutorem consecravit. Intendebat multa pro bono Ecclesiæ, pro Religione Catholica, sed his intentum commune omnibus fatum humanis exemit. Obiit meritorum plenus 1758. die 19. Septembris, Culmseæ in Templo Cathedrali XII. Octobris sepultus.

LIII

LIII.

ANDREAS IV. IGNATIUS BAJER

De Stemmate Leliwa vide p. 24.

FRancisco Vexillifero Chełmensi, Patre, Marianna Żabędzka Matre genitus, ætatem, quam optimis instruxit moribûs, expolivit scientiis, sacris ubi applicuit, in variis Canonicorum Collegiis prodroma virtute eminere fecit. Crusviciensis Præpositus, Canonicus Gnesnensis, Vladislaviensis Cancellarius, hujusq; Episcopatûs ab obitu Czapscii Sede vacante Administrator Vągrovecensis Abbas, Tribunalis Regni Judex & supremus Præses. Tantis dignitatibus parabatur Culmensi Sedi. Merita Viri, labores pro Ecclesia, in administranda justitia studium coluit Polonia, spectavit optimus rerum arbiter Augustus III, & paravit præmium; dum Andream ex justitiæ sacrario, cui Lublini præerat, evocavit ad Infulas, & Episcopum Culmensem nominavit. Æquum tanti Regis judicium probavit facile Clemens XIII.

In Præsulem à Cajetano Sołtyk Cracoviensi Antistite consecratus ad orbatam Pastore Diæcesim parabat gressum, sed ad Tribunal Thesauri Regni Radomiense impetratus, ut fortunatam redderet Poloniam, ivit & Judicum moderator illi cætui justitiam, quam semper coluit, fecit domesticam; ut tamen gregi suo esset solatium, Pastoralem præmisit epistolam, ipse verò, die Angelorum Principi Divo Michaëli sacra 1759. in Cathedram suam Culmseæ solennem adornavit ingressum. Accepit sacer cætus plaudentibûs votis Præsulem, populus & Diæcesis in adventum effusa adoravit Pastorem, & in Pastore adamavit Patrem. Affectibus optimisq; desideriis respondet Antistes innata humanitate, & morum comitate, efficaci pro re Catholica studiô

H adni-

adnititur, ut Diæcesim vere Religiosam efficiat. Faxint Superi: conatus felici coronent eventu, & vel maxime pro commodo gregis, ornamento Ecclesiæ & Patriæ incolumem servent Andream Præsulem, maximisq; adornent honoribûs.

CAPUT QUARTUM
De Episcopatu Chelmensi

INitia hujus Cathedræ variis temporibus, variisq; conditoribus adscribunt Historici. *Bzovius in Annal: Eccl:* asserit in anno 1375. regnante Ludovico in Polonia cum aliis in Russia erectam esse. *Nakielski in Miechovia* quem sequitur *Naramowski L. II. C. XVI* primordia illius 1417. Ladislao Jagelloni post gloriosam ad Grunvaldum de Crucigeris victoriam die festo Divisionis SS. Apostolorum attribuit. Cæterum, quòd Chelmensis Ecclesia suos Episcopos prius habuerit, testis est *Vadingus*: scribit ille *Tom: IV. Annal: Ord: Min:* 1359. Innocentium VI. Papam ad Chelmensem Sedem pridem Præsule suo orbatam designâsse Thomam Himpergvey de Seyno Instituti S. Francisci, admaducitq; epistolam hujus Pontificis Avenione in ea materia datam, quæ reperitur in Bibliotheca Romana sub numero 69. Hujus Thomæ Episcopi consecrantis Sacellum S. Dorotheæ ad templum Cracoviense S. Catharinæ PP. Ord: S. Augustini meminit *Drynacki* in vita B. Isaiæ Boner. *Skrobiszevius* in Vitis Archiepiscoporum Leopoliensium annotat 1394. Ecclesiam Chelmensem rexisse Stephanum, à quo eodem anno Indulgentias concessas Jacobus Archiepiscopus Haliciensis approbavit. Sed in anno error esse debet; hoc enim tempore Petrus Sedi Haliciensi præfuit. *Vide Lib. I. p. 212. p. 213.*

Ex his opinionibus patet ante Ludovicum & Jagello-

gellonem fuisse Antistites Chelmenses. *Niesiecki Tom: I.* initia Sedis hujus tribuit Boleslao Pudico annô 1264. innixus testimonio Cromeri & Dlugossii. Sed Cromerus sub anno hoc loquitur de Lucensi seu Luceoriensi Episcopatu. *Vide L. III. p. 363.* Dlugossius quoq; sub anno eodem adducit epistolam Alexandri Summi Pontificis ad Archiepiscopum Gnesnensem, qua ad postulata Boleslai Pudici in terris subjugatorum per hunc Boleslaum Jadźvingarum erigendam Sedem Episcopalem permittit: sed utrum hæc condita sit, & in quo loco? non meminit. Vero similius est, ut idem Niesiecki loco citato annotat, erectionem Chelmensis Episcopatûs longe præcessisse tempora Jagellonis, sed quia ob exiguos proventus sæpius eum vacare contingebat, Ladislaus Jagello, post partam ad Grunvaldum victoriam, Episcopatum hunc in honorem SS. Apostolorum innovatum facultatibûs auxit & dotavit annô 1414. ut scribit *Niesiecki* sive ut vult *Nakielski* anno 1417.

Chelmæ in Russia primùm Sedes hæc locata fuit, unde etiam Episcopi Chelmenses dicti sunt. Eam Paulus de Grabowa in ordine IV. Præsul Rubiesżoviam transtulit, sed quia urbs illa non erat pro majestate Antistitû Mathias de Łomza in ordine VII. stabilem ad hæc usq; tempora locum eidem designavit Crasnostaviæ ad fluvium Wieprz conservatô Episcoporum Chelmensium nomine.

Capitulum componitur ex Præposito, Decano, Archidiacono, Primicerio, Scholastico, Cancellario, & decem Canonicis: ex quibus unum, Judicem ad Tribunal Regni eligit: congressus suos generales celebrat die festo SS. Trium Regum, & Divisionis SS. Apostolorum, quorum effigiem pro suo habet stemmate.

Diæcesis hæc continet Decanatus: Crasnostaviensem, Zamostiensem, Chelmensem, Lubomlensem, Rubiesżoviensem, Socaliensem, Belzensem, Potelicensem, & Turobinensem. Ecclesias Parochiales numerat

merat 81, præter templa Religioforum quorum Ordines fat numerofos habet. Zamoftiæ extat Infulata Ecclefia condita & dotata a Joanne Zamoyski Supremo Exercituum Duce & Regni Cancellario: qui eandem urbem condidit, muris cinxit, & variis propugnaculis munivit.

Hanc fuam Civitatem idem Cancellarius, qui olim Academiam Patavinam Rector gubernavit, ut domefticas haberet fcientias, Academia juris fui adornavit: illam *Ordinationis* facultatum fuarum pro publico Patriæ bono, à Republica approbatæ, legibûs annorum 1589. & 1590. primogenitis Familiæ fuæ in poffeffionem ceffuræ caput effe voluit. Hæc illius *Ordinatio* (a) habetur infcripta Lublini Actis Tribunalis Regni Sabbatho ipfo die fefti S. Kiliani 1589. Ejus additamentum ibidem Feria II. poft Feftum S. Ægidii proxima 1590. item additamentum alterum ibidem Sabbatho poft Feftum S. Bartholomæi proximo 1591. Tertium ibidem Feria VI. poft Feftum S. Ægidii proxima 1593. De hoc Joanne fub anno 1605. prodidit memoriæ *Piafecki* laudefq; illius ampliffimas brevi calamô defcripfit: *Scit olim, quem habuerit Ducem, Polonia, fimilem quando fit habitura, nefciet.*

Socali, quæ civitas ad fluvium Bug fita caput eft Decanatûs forenfis, colitur magno populi concurfu Imago Deiparæ Virginis MARIÆ miraculis clara fub cura PP. Ord: Min: de Obfervantia, non ita pridem Coronis à Summo Pontifice per Domum Potoccianam impetratis, ejusdem Illuftriffimæ Familiæ impenfis liberalibûs folenni apparatu redimita. Illius origo hæc effe fcribitur.

Erat inter Lithvanos recens facro fonte tinctos quidam Węzykius artis pictoriæ periciffimus, in falutari lava-

(a) *Terminus eft in Conftitutionibus Regni ufitatus, quo facultates primogenitis Filiis in hæreditatem cedunt: alibi Majoratus vocatur.*

lavacro nomen Jacobi fortitus. Hic non fatis habuit verum Numen agnoviffe, morum pietatem, & variarum virtutum exercitium Religioni adjunxit. Excellebat in arte pictoria, non folum in ideis formandis felix, fed memoriæ etiam tantæ, ut eas conceptas absq; exempli adminiculo, multo interjecto tempore in minimis quibufvis lineamentis facile exprimeret. Eâ artis fuæ famâ in aulam evocatus, effigies Principum, aliaq; præcipua perfectô effingebat penicillô. Sed ex continuo pingendi ufu primum cæcutire cæpit, tandem plene oculorum officiô orbatus eft 1392.

Clarebat tum maximis miraculis Imago Deiparæ in monte Częftochovienfi, eo vota in variis ærumnis & neceffitatibus dirigebantur, illifq; folvendis multis ex locis peregrinationes fufcipiebantur. Itaq; & Jacobus eò fe devovet 1396, oculorum imbecillitatem ope Beatiffimæ deprecaturus. Peregrinatur voti reus: ubi Częftochoviam pervenit, poft fufas preces oculorum integritatem vifu reftituto obtinet. Alterum itaq; gratitudinis votum emittit; fe Sacram Deiparæ Imaginem ad exemplum Claromontanæ quam maximô artificiô depicturum, & dedicaturum alicui Templo ad majorem Dei & Virginis Sanctiffimæ honorem.

Domum redux fanitate recepta multis fuorum gratulationibûs exceptus tabulam arti convenientem parat, folitæ memoriæ fretus lineas dimetiri, proportionem connotare incipit, fed errare fibi vifus, emendat, mutat, delet, fignat iterum: & dum recolligi nequit, turbatur, ac tandem conceptæ ideæ penitus oblivifcitur. Ingens dolor hominem corripuit, cùm voto depingendæ imaginis fatisfacere non valeret. Quare alteram peregrinationem ad fpeciem Iconis meliùs memoriæ imprimendam inftituit. Supplicat Deiparæ ut in effigie formanda illi ope fua præfto adeffet: intendit deinde omnem vim memoriæ in omnia, quæ ad fpeciem Imaginis tranfumendam pertinere videbantur.

 Ple-

Plenus ſpei ac fiduciæ domum redit, accingit ſe operi, ſed pari ut ante effectu. Itaq; deſperabundus indignum ſe ea re perficienda reputans, animum cum mærore deſpondit. Urgent interea amici, ne illos ſpe Imaginis privaret, oraret Deum & Beatiſſimam, ut Virgo Sanctiſſima in ſolatium clientum ſuorum ſe effingi permitteret. Suorum precibus ſatisfacit Jacobus, & clauſis artis ſuæ inſtrumentis tertiam peregrinationem adoritur. Ubi pervenit ad votorum ſuorum terminum, expiata à noxis conſcientiâ, ſacrâ Euchariſtiâ refectus ſupplicat Deiparæ Virgini, ut ſe compotem deſideriorum efficeret. Intrat deinde ſacellum & propiùs accedit ad aram: Imaginis formam, proportionem, colorem, umbras, muſculos, & minutiſſima quæquæ omni diligentiâ conſiderat, annotat, memoriæ imprimit, ac domum præteritarum oblivionum metu celerrime properat.

Vix limen tranſgreſſus, ut recenti ſpecie opus inchoaret, in conclave, in quo res artis ſuæ concluſerat, irrumpit; ſed in eo longe quid aliud, quàm reliquerat, reperit. Primùm cernit lumen inſvetum, deinde Imaginem Deiparæ mirô artificio in ea, quam recondidit tabula, depictam, & ante effigiem candelam ardentem conſpicit. Rei novitate attonitus, terrore perculſus, religione commotus pronus in terram proſternitur, ac extra ſenſus rapitur. Tum ſibi reſtitutus vocem audit Salvatoris: Tantum illius Matris ſuæ honorandæ pium ſtudium apud ſe valuiſſe, ut Imaginem Ejus, quam tantô deſideriô manu ſua effingere optaverat, Angelicâ operâ depingi fecerit: acciperet itaq; paratam effigiem, ac Socalum oppidum ad ripam fluminis Bug ſitum devote in Templo ſtatuendam deferret, ipſeq; ibi viveret ad ſupremum vitæ ſuæ diem. Paruit imperio Jacobus, & opus inſolita arte perfectum in Eccleſia Socalienſi reverenter depoſuit. Eo modo Imago hæc Deiparæ ceſſit Socalo, quæ poſtmodum curæ PP. Ord: Min: de Obſer-

tia

vantia commiſſa eſt: *vide L. III. p. 372.* magniſq; gratiis non Palatinatui duntaxat Belzenſi; ſed etiam oris finitimis inclaruit.

Miraculum hoc deſumptum eſt ex antiquo Ruthenô codice tineis fere conſumpto, in Polonicum poſtea, tandem in Latinum idioma translatum, & authoritate Martini Szyſzkonſki Cracovienſis Epiſcopi, judicio M. Jacobi Janidlovii U. J. D. & Profeſſoris, Academiæ Cracovienſis Pro Cancellarii & Rectoris approbatum. Andreas Gołdanowski in Hiſtoria Imaginis Częſtochovienſis Par: II. eandem hujus Imaginis originem refert Pruſzcz in Mari gratiarum p. 21.

ORDO & VITÆ
EPISCOPORUM CHEŁMENSIUM
I.
STEPHANUS

PRimam ætatem dedicavit Sacerrimæ D. Dominici Familiæ, eamq; ſcientiis & vitæ probitate abunde cumulavit: cænobia, totamq; Provinciam, cui præerat, Religioſa rexit charitate, multiſq; beneficiis auxit: & qui ſuos optime gubernâvit, dignus viſus eſt Ladislao Jagelloni, ut innovatæ Diæceſi Chełmenſi primus Epiſcopus præficeretur. Novum gregem amavit, & verbô veritatis pavit ut Pater: ex Photiano Schiſmate plures Romanæ Eccleſiæ adjunxit: Coluit Præſulem Provincia, Rex Ladislaus ſingulari amore proſecutus eſt; Et quia Eccleſia hæc (ut ſupra dictum) exigua dote erat proviſa, Rex bona Kumow, Pobołowice, Dobrnow, Plitniki, Tur eidem attribuit. Obiit juxta Nieſiecium anno 1417.

II.

JOANNES I. de OPATOWICE

De Stemmate Chelewa

Gladius est in medio duarum ansarum ferrearum positus

HIc corporis figurâ parvus, unde Episcopellus dicebatur, sed rebûs gestis excessit plures. Institutum S. Dominici professus in eo primas dignitates meruit, Post traditas magnô studiô & plausu Theologicas difficultates S. T. D. Cœnobii Cracoviensis Prior, annis sex eidem præfuit, & quia in eo officio plusquam Patrem egit, Siradiæ 1411. tota Provincia unanimi votô eidem fasces detulit. Abunde fecit satis huic præfecturæ, Provinciam sui Ordinis ampliorem reddidit: Ejus curâ Costeni, Lovicii, Srodæ, Horodłæ, Rubieszoviæ Religiosæ ædes erectæ & dotatæ sunt. Vix officium Præsidis Provinciæ finire permissus, ad aulam Jagellonis evocatus, ejus conscientiæ arbitrum & Verbi Divini præconem egit. Tandem post obitum Stephani ad Ecclesiam Chełmensem promotus est.

Laudes Pastoralis illius curæ ipse Ladislaus Rex suô testimoniô complexus est. *Venerabilis in Christo Pater Joannes, electus Chelmensis, Prædicator & Confessor, noster, Fratrum Ordinis Prædicatorum, Provincialis olim Poloniæ, quem exigentibûs ipsius meritî, & virtutibûs favore prosequimur speciali, Ecclesiam suam Chelmensem, novam fundationis nostræ plantulam, vitæ exemplô & virtutum studiô ædificans, populum Schismaticum circumquaque se positum ad vitam nón cessat erudire, & verbô sacræ doctrinæ velut plantam primo positam facundissimi fontis rore irrigare.* Ex hac Regis commendatione patet, quanto ardore fidei dilatandæ flagrabat Antistes hic.

In primo Diæcesis aditu Cathedralem struxit Ecclesiam Chełmæ & quia parvam laboribus suis advertit, operâ ejusdem Jagellonis apud Martinum Vobtinuerat, ut Lublinensis Tractus (pars adhuc erat Palatinatûs Sandomiriensis, nunc primum circa annum 1471 per Casimirum hujus Ladislai Filium à Sandomiriensi divisus, & in Palatinatum conversus, primum Dobieslaum Kmita Palatinum nactus est *Niesiecki Tom: I. Cromerus L. XXVIII. Bielski L. IV.* eam divisionem 1474 scribunt) Diæcesi Chełmensi adjungeretur; sed Sbigneus Olesnicki Cracoviensis Episcopus in conventu Siradiensi obstitit, litterisq; ad eundem Pontificem datis plurium Senatorum manu subscriptis hanc Martini V. dispositionem immutavit, impetrato super ea re judicio Apostolico per Lucidum Cardinalem de Comitibus exercendo. Quare Joannes ne Sbigneum Præsulem, cujus in Regno authoritas erat præcipua, offenderet, à lite & promovendo negotio abstinuit. *Vide Dlugossium Lib. XI.*

Interea Ladislaus aliis beneficiis Chełmensem adornavit Ecclesiam ac bona Łysce & Siedliska eidem attribuit. Annis XXIV. præfuit Diæcesi, quam sæpiùs lustravit, Ecclesias plures condidit dotavit, & optimis Rectoribus providit: pro laborum præmio abiit 1440.

III.

JOANNES II. TARANOWSKI KRASKA

De Stemmate Belina

Tribus soleis circa ensem erectum tergo ad se conversis insignis.

ET hunc Sacer Prædicatorum Ordo, in quo nomen Theologi adeptus est, Chełmensi enutrivit Cathedræ. Ejus curâ Casimirus bona Sawin Ecclesiæ Chełmensi donô perpetuô cessit. Ejus quoq; temporibus accessit mensæ Episcopali oppidum Skierbieszow., cujus incolis multa privilegia largitus est hic Joannes. Ibidem Ecclesiam in honorem D. Dominici suis Religiosis

gioſis condidit. à Długoſſio Vir manſvetus pacificus & modeſtus dictus eſt. Supremum diem obiit 1462. *Dlugoſſius Lib: XIII.*

IV.

PAULUS I. de GRABOWA

De Stemmate Powała: idem eſt cum Stemmate Ogończyk vide p 28.

PRimam ætatem Marti conſecravit in Hungariam Ladislaum ſecutus: & cùm Amurathes Turcarum Imperator aliquot præliis à Ladislao Poloniæ & Hungariæ Rege attritus denuo viribûs non poſtremis impetitus fusô Chriſtianô exercitu, ipſo Rege cæſo victor evaſiſſet; *Vide L. I. p. 83.* cum aliis captivis ivit in vincula & Paulus, ex quibus ope Divina liber in Patriam rediit. Libertati reſtitutus, voti reus, quod captivus emiſerat, Sacro Ordini nomen dedit, in quo dum vitæ probitate & in rebus tractandis dexteritate emineret, à Caſimiro Rege ad Chełmenſem Sedem promotus eſt. Reperit civitatem Chełmam à vario hoſte vaſtatam, quare ut commodo ſuæ Cathedræ provideret, eam cum aſſenſu Caſimiri Regis Rubieſzoviam tranſtulit (*b*). Sienicæ Eccleſiam à Nicolao de Wyſowic Caſtellano Zavichoſtenſi erectam conſecravit. Ultra annos XV. in regimine Diæceſis cum laude exactos obiit XVIII. Februarii 1479. Teſte Długoſſio Præſul hic ſingulos Polonos ſibi ſangvine junctos afferebat.

V.

JOANNES III. KAZIMIERSKI

AD Premislienſem Sedem evectus. *Vide p. 6.*

VI.

(*b*) *Nakielſki.*

VI.

JOANNES IV. TARGOWICKI

IN Premislienſi Sede ſucceſſit Kazimirſcio. *Vide p. 6.*

VII.

MATHIAS I. de ŁOMZA

De Stemmate Rawicz

Virgo eſt elevatis in cœlum manibus urſo inſidens.

EX Canonico Leopolienſi, Notario Caſimiri Regis, ejusdem Principis favore Prochniccio in Camenecenſi Sede ſucceſſit, & quia eam Diæceſim optime moderatus eſt, meruit ut Chełmenſem adminiſtraret. In primo Sedis Chełmenſis aditu, Rubieſzoviam oppidum Judæis repletum non adeo commodum locum Cathedræ & dignitati Præſuleæ advertit, quare initô cum Canonicis conſilio, obtinuit in conventu generali Cracovienſi Sabbatho poſt feſtum S. Joannis Baptiſtæ 1490. Caſimiri Regis conſenſum, ut Sedem Epiſcopalem Rubieſzoviâ Craſnoſtaviam transferret, quæ in hunc uſq; diem ibidem conſiſtit nomine Epiſcoporum Chełmenſium conſervato. (*c*) Ut huic Urbi, ſic pluribus civitatibus Epiſcopatus ſui multa privilegia apud Joannem Albertum impetravit. Obiit meritorum plenus 1505.

Hunc *Naramowſki L. II. C. XVI.* ſcribit ſucceſſiſſe Paulo de Grabowa, juxta eundem anno 1479. vitâ defuncto. Porro *Dlugoſſius Lib. XIII.* hoc eodem anno 1479. poſt obitum Nicolai Prochnicki Mathiam de Łomza ad Epiſcopatum Camenecenſem promotum aſſerit. *Nakielſki in Miechovia fol. 400.* cùm hic Mathias apud Caſimirum Regem 1490. translationem Sedis Chełmenſis Rubieſzoviâ Craſnoſtaviam impetraſſet, ſcribit illum fuiſſe electum Chełmenſem. Præterea

cum

(*c*) *Nakielſki.*

cùm Stephanus Palatinus Moldaviæ Casimiro Poloniæ Regi 1485. fidem suam jurejurando obstringeret, inter præsentes annotati sunt. Mathias de stara Łomza Episcopus Camenecensis, Joannes Targowicki electus Chełmensis *Legum Volum I.* Alexander quoq; Rex cum leges certas 1504. Petricoviæ in generali conventu sanciret, ei congressui adfuisse Mathias Chełmensis Episcopus scribitur. *Legum Volumen I.*

VIII.

NICOLAUS I. KOSCIELECKI

De Stemmate Ogonczyk vide p. 28.

EX Præposito Vladislaviensi Chełmensis Episcopus: opum suarum hæredes ex asse scripsit Christi famulos. In Vladislaviensi Cathedra aram D. Nicolao erexit. Skępæ in Diæcesi Plocensi cænobium PP. Ord: Min: de Observantia, & miraculosæ illo in loco Deiparæ Virgini ad eorundem ædes, ligneam primùm, brevi de solido muro Ecclesiam struxit, in cujus decorem omne impendit ærarium. Biała oppidum in Palatinatu Ravensi pro sua Eclesia apud Alexandrum Regem impetravit. (d) Sed id denuo Statui Equestri restitutum est. Coronationi Reginæ Barbaræ interfuit. Obiit diem ultimum 1518. Skępæ in æde Sacra PP. Ord: Minorum sepultus.

IX.

JACOBUS I. BUCZACKI

AD Plocensem Sedem translatus. *Vide Lib: III. pag: 252.*

X.

SEBASTIANUS BRANICKI

POsnaniensem Diæcesim regendam accepit. *Vide Lib: II. p. 131.*

(d) *Niesiecki Tom: II.*

XI

XI.

SAMUEL MACIEIOWSKI

IN Cracoviensi Episcopatu supremum diem obiit. *Vide L. I. p. 325.*

XII.

NICOLAUS II. DZIERZGOWSKI

PLurium Cathedrarum Præsul, demum Archiepiscopus Gnesnensis. *Vide L. I. p. 119.*

XIII.

ANDREAS ZEBRZYDOWSKI

VLadislaviensis, tandem Cracoviensis Antistes. *Vide L. I. p. 328.*

XIV.

JOANNES IV. DZIADUSKI

STanislao Tarło in Episcopatu Premisliensi successit *Vide p. 10.*

XV.

JOANNES V. DROHOIEWSKI

AD Vladislaviensem Sedem assumptus. *Vide L. II. pag: 58.*

XVI.

JACOBUS II. UCHANSKI

IN Vladislaviensi Drohoiewscio, in Gnesnensi verò successit Przerębscio. *Vide L. I. p. 122.*

XVII.

JOANNES VI. PRZERĘBSKI

MAgna Viri merita Primatiali dignitate Polonia compensavit. *Vide L. I. p. 124.*

XVIII

XVIII.

NICOLAUS III. WOLSKI

POst ascensum Uchanscii ad Gnesnensem Metropolim, Antistes Vladislaviensis. *Vide L. II. p. 58.*

XIX.

ADALBERTUS STAROZRZEBSKI

OBiit in Premisliensi Episcopatu. *Vide p. 18.*

XX.

JOANNES VII. ZABOROWSKI

De Stemmate Rawicz vide p. 123.

REgens Cancellariæ Regni, in ea dignitate cùm altiora sperare debuit, honoribus, & fluxis rebûs contemptis, Institutum D. Dominici Cracoviæ professus est. Eam Viri humilitatem admiratus Stephanus Batoreus Poloniarum Rex invitum ad Chełmensem Sedem evexit. Sed Religiosum Præsulem mors Diæcesi invidit. Ante expeditionem diplomatum obiit 1557. Cracoviæ apud PP. sui Ordinis unum cum Matre sepulchrum nactus.

XXI.

ADAMUS PILCHOWSKI

De Stemmate Biberszteinorum.

JUventutem excoluit in aula Reginæ Bonæ, ejusdem postea Secretarius & Varsaviensis Præpositus, in Anno 1576. per Constitutionem Regni ad lustranda bona Regia in Palatinatu Podlachiæ designatus, accuratô in agendo modô desideriis Reipublicæ fecit satis. Brevi Regni Referendarius. Cùm Rex Stephanus consiliô Joannis Zamoyscii ad decidendas lites Tribunal instituisset, huic judicio præesse primus ex Ordine Ecclesiastico meruit. Chełmensis Præsul Canonicorum Collegium multis auxit beneficiis. Exuit mortalitatem 1585. Varsaviæ in sepulchro, quod vivens paraverat, sepultus cum hoc vitæ elogio: *Doctrinâ & dexteritate rerumq; magna experientiâ, morum temperantiâ, liberalitate, & aliis præclarissimis virtutibûs commendatus.*

XXII.

STANISLAUS I. OSSOWSKI

De Stemmate Gryphium.

EX Canonico Cracoviensi, Præposito Sandomiriensi, Gnesnensi Primicerio, Referendario Regni nominatus Chełmensis, antequam in Præsulem consecratus esset, 1586. in viam æternitatis abiit, Sandomiriæ sepultus.

XXIII.

LAURENTIUS GOSLICKI

IN Posnaniensi Sede supremum diem obiit. *Vide L. III. p. 142.*

XXIV.

STANISLAUS II. GOMOLINSKI

AD Luceoriensem Episcopatum promotus. *Vide L. III. p. 372.*

XXV.

GEORGIUS ZAMOYSKI

De Stemmate Jelita vide p. 16.

ARchidiaconus Lublinensis, Cracoviensis Canonicus, Regni Secretarius, Abbas Cervinensis, demum Chełmensis Antistes. Post solennem in Ecclesiam suam ingressum, præfecturam Diæcesis ab illa lustranda

ſtranda inchoavit, brevi Synodum congregavit, in qua ſacerrimis legibûs ſancitis circumſcripſit gregem. Joanni Zamoyski Supremo Regni Cancellario Exercituum Duci in condenda Scientiarum univerſitate Zamoſtienſi magnum fuit adminiculum. Skierbieſzoviæ (oppidum Epiſcopale) arcem ex ſolido muro erexit, eamq; variis propugnaculis & machinis bellicis contra cujuſvis hoſtis impetum firmam fecit. Plura pro bono Diæceſis intendentem mors eripuit 1620.

XXVI.

MATHIAS ŁUBIENSKI

ABſolutæ virtutis Antiſtes obiit in Gneſnenſi Metropoli. *Vide Lib: I. p. 163.*

XXVII.

REMIGIANUS KONIECPOLSKI

De Stemmate Pobog.

Solea eſt Cruce deſuper inſignita

ALexandri Palatini Siradienſis Filius, Stanislai Caſtellani Cracovienſis Supremi Exercituum Ducis rebûs bellicis contra Svecos, Turcas, Scythas glorioſi Frater germanus, Anteceſſorum ſuorum gloriæ hæres. Et Familiæ eminentiâ, & propriis virtutibûs maxima merebatur, ſed vix exiguas dignitates admiſit. Andreiovienſis Abbas, Chełmenſis Præſul oſſa Vincentii Kadłubek Epiſcopi Cracovienſis poſtea Andrejovienſis cænobii Religioſi levavit 1633. & in loculo marmoreo depoſuit. Suæ Cathedræ de argento Crucis ſimulacrum & duodecem candelabra obtulit. Obiit meritorum plenus 1640.

XXVIII.

PAULUS II. PIASECKI

ANno 1644. ad Premislienſem Sedem aſſumptus eſt. *Vide p. 81.*

XXIX

XXIX.

STANISLAUS III. PSTROKONSKI

Poraita

JOannis Caſtellani Vielunenſis Filius, Mathiæ Epiſcopi Vladislavienſis Nepos. Optimâ Patrui ſui diſciplinâ inſtitutus, relicta in Scholis Poſnanienſibus S. J. (a) ingenii & virtutum glorioſâ memoriâ miſſus ad exteros, ſolers judicium ſeverioribus ſcientiis expolivit. Inde redux ad aulam Ladislai Principis Regii divertit, ſed virtutis ſtudiô Societatem JESU, in ea latere & neſciri cupiens, expetiit & impetravit; verùm ob vitæ probitatem & doctrinæ laudem ab eodem Ladislao jam Rege evocatus, ejus Theologum egit & conſcientiæ arbitrum. Ad poſtulata hujus Principis in votis Religioſis cum Stanislao dùm diſpenſaſſet Roma; non ita Societati valedixit, ut illam animo excluderet; eam ſemper corde fovit, ut Matrem coluit: moriens, rerum mobilium ex aſſe ſcripſit hæredem, ut in beneficiis eidem continuus viveret.

Præpoſitus Plocenſis, Varmienſis Canonicus, Archidiaconus Caliſſienſis, Regens Cancellariæ Regni, Tinecenſis Abbas, demum Chełmenſis Præſul, ut Eccleſiaſticis dignitatibûs, ſic munificentiâ in Superos eminuit. Tineci Religioſum cum PP. D. Benedicti conventum celebravit, pluraq; correxit, & ſtatuit apprime neceſſaria. Templum loci illius arâ majore inſigni ſplendore ſtructâ, ſacrarium varia ſupellectili adornavit. Buzenini, (bona illius hæreditaria) Eccleſiam à fundamentis de cocto latere 1642. erexit in honorem B. Virginis, S. Annæ, SS. Adalberti Stanislai, Ignatii & Xaverii (ut teſtis eſt inſcriptio valvis hujus Templi marmoreis

I

(a) *Extat nomen Illius in Albo Sodalium Immaculatæ Conceptæ Virginis Collegii Poſnanienſis S. J.* *Vit: Præſ: Tom: III.*

moreis insculpta) illam vario apparatu ditavit: & dotem tribus Sacerdotibus inscripsit. Obiit anno à partu Virginis 1657. Præsul longiore ætate dignus.

In Vitis Episcoporum Chełmensium à Naramowscio editis post Pstrokonscium Paulus Piasecki legitur, sed hic error incuriæ Typi adscribendus; cùm enim ordinem Electionis Joannis Casimiri 1648. Senatores & plures ex Equestri statu subscriberent, Paulus Piasecki Episcopus Premisliensis, Stanislaus Pstrokonski Episcopus Chełmensis eidem ordini manum suam apposuere. *Volum Leg: IV.*

XXX.

THOMAS LEZENSKI

Nicolao Prażmowski in Luceoriensi Episcopatu successit. *Vide L. III. p. 387.*

XXXI.

JOANNES VIII. ROZYCKI

Poraita.

Stanislai Vice Palatini Lanciciensis & Moszczynska Filius. Costensis Præpositus, Abbatiæ Mogilnensis Administrator, eodem anno, videlicet 1669, quo in Præsulem hujus Cathedræ consecratus est, tumulo illatus.

XXXII.

CHRISTOPHORUS I. ZEGOCKI

De Stemmate Jastrzembiec vide p. 17.

Multam ætatem in sago Patriæ integritati consecravit miles & togatus Pater. Calissiensis Succamerarius, Comnensis & Babimostensis Præfectus, Tribunalis Regni Mareschalcus, in anno 1661. à Republica ad limites Poloniæ cum Silesia & Pomerania definiendos, ad Tribunal Regni Radomiense anno 1662. Commissarius designatus, tandem anno 1667. Palatinus Junivladislaviensis, ubiq; bonum Poloniæ curavit. Dignitates has heroicis meruit virtutibûs. Cùm armis totam fere Poloniam oppressisset Svecus, illius vires non una acie attrivit Christophorus: 1655. ad Costenum Lansdgraffium Hassiæ cruentô fudit conflictu. Częstochoviam à Joanne Casimiro cum lecta manu expeditus, tuente munitionem suam thaumaturga loci illius Deipara Virgine, Svecorum impetum fortiter sustinuit. Dux & miles ad Cracoviam, ad nigrum Ostrovum, Vieluniam, Petricoviam, Magieroviam eundem hostem coercuit. Ivit postmodum cum Czarnieccio in Pomeraniam, Holsatiam, Daniam, ut armorum gloriam in exteris etiam Regionibus circumferret, plurimumq; illis in oris ad victorias Czarnieccii contribuit. Tandem post fata Consortis sacrum elegit institutum; à Michaële I. Poloniarum Rege, in cujus Matris Grizeldæ Constantiæ de Zamoysciis funere sacer ab exedris Orator peroravit, ad Chełmensem Ecclesiam promotus à Principe Floriano Czartoryski 1671. in Præsulem consecratus, dum consulturus bono Patriæ ad Regni Comitia pergeret, in bonis Kosciefzyn in viam æternitatis abiit 1672.

XXXIII.

STANISLAUS IV. DĄBSKI

Non unius Diæcesis Antistes obiit in Cracoviensi Episcopatu *Vide L. I. p. 373.*

XXIV.

STANISLAUS V. SWIĘCICKI

De Stemmate Jastrzembiec vide p. 17.

Ex Gnesnensi Scholastico, Vladislaviensi Decano, Gedanensi & Varsaviensi in Spiritualibus Vicario

Officiali primum Samogitiæ Suffraganeus, brevi Chełmensis Antistes: multis obsequiis pro bono Patriæ desudavit, in Tribunalibus Regni Judex, Mariæburgum & Gedanum Commissarius, rem ad vota Reipublicæ expedivit. Præsul factus, nullum boni Pastoris officium intermisit; lustrabat Diæcesim, rudi populo exponebat fidei elementa, alios ab exedris morum & vitæ optime instituendæ admonebat. Crasnostaviam Patres S. J. introduxit, ex quibus unum in Ecclesia Cathedrali Verbi Divini præconem, alterum in eadem a sacris confessionibus instituit. Patribus his postmodum Illustrissima Potocciorum Familia Templum opere eleganti & religiosas ædes posuit, ac dotem numeravit. In bonis Swięcice in Terra Varsaviensi Patres Ordinis Prædicatorum antiquæ observantiæ locavit, & beneficiis fovit. Promovebatur ad Culmensem Sedem, eam ne adiret, mors impedivit 1696. Crasnostaviæ in sua Ecclesia, quam multiplici adornavit beneficentia, sepulchrum nactus.

XXXV.

NICOLAUS IV. WYZYCKI

De Stemmate Geralt

Crux est alba in rubro campo in octo partes divisa, in quatuor verò lateribus quatuor pomis distincta.

STanislai Vexilliferi Kioviensis & Christinæ Zawichoska Filius. Præpositus Mstovensis, Cervinensis Abbas, Canonicorum Regularium D. Augustini cætum prudentia & affabilitate rexit magnô illius emolumentô. Chełmensis Præsul annis fere octo Diæcesi præfuit eamq; sua liberalitate auxit. Inchoaverat Skierbieszoviæ palatium pro commodo Episcoporum Chełmensium, sed optime cæpta mors immatura impedivit. Obiit 1704.

XXXVI.

CASIMIRUS LUBIENSKI

AD Cracoviensem evectus Sedem. *Vide L. I. p. 375.*

XXXVII.

THEODORUS WOLFF

De Stemmate Wolff

DOmus hæc à Ludinhausen dicta, non uni Regno in Viris sago emeritis inquilina, Livoniæ Prussiæ domestica, cujus in Tromboldo rei tormentariæ Polonæ Præfecto, Dineburgensis Castri Gubernatore præclaras virtutes & facta bellica Ladislaus IV. luculenter descripsit in privilegio Cracoviæ dato XV. Julii 1644. Pro insigni habet lineas quatuor à sinistra in partem dextram inclinatas, & in earum medio expressum leonem dimidium pedibûs primis erectum. *Niesiecki Tom: IV.*

Friderici Præfecti Dineburgensis Succamerarii Derpensis & Annæ Donhoffowna Filius, spem omnium dignitatum, quibus à præcelsa indole parabatur, præcludere intendebat, Societatem JESU ingressus, sed Roma disponente, Theodori virtutem honoribûs ultro ambientibûs, eidem valedixit. Præpositus Miechoviensis, Successor Episcopatûs Livoniæ & laboris socius à Nicolao Popławski adscitus, post ascensum Nicolai ad Leopoliensem Metropolim, Diæcesim Livoniæ rexit innata & plusquam religiosa modestiâ. Ab Augusto II. ad Sedem Chełmensem promotus, dum ad illam ingressum pararet, Varsaviæ 1712. descendit ad tumulum, in Templo Varsaviensi S. J. sepultus. Chełmensi Ecclesiæ simulacrum Crucis argenteum justi ponderis, & non exigui pretii sacram supellectilem ultimâ voluntate disposuit.

XXXVIII.

CHRISTOPHORUS II. SZEMBEK

AD Premisliensem demum ad Varmiensem Episcopatum translatus est. *Vide L. III. p. 36.*

XXXIX.

ALEXANDER FREDRO

IN Premisliensi Sede Christophoro successit, eiq; immortuus est. *Vide p. 22.*

XL.

JOANNES IX. FELIX SZANIAWSKI

De Stemmate Junoszá.

Agnus est coloris albi in campo rubro.

EX Suffraganeo Leopoliensi Chełmensis Antistes, Diæcesis hujus norma & exemplum. Ad Vilnensem Episcopatum promovebatur ab Augusto II, & ut tantum Præsulem haberet Lithvania, plurimum egit Augustus, sed Lithvani pro juribus suis decertabant, & Indigenam nacti sunt. Joannes verò cùm maxima mereretur, à Joanne Skarbek Leopoliensi Archipræsule in Successorem assumptus est. Archiepiscopi mentem probavit Roma, sed uterq; anno 1733. fatis præventus obiit. Szaniavius Zamoſtiæ apud PP. Ordinis Minorum de strictiori Observantia sepultus; cùm post obitum Augusti II. annô 1733. Varsaviæ à sacris exedris in primordiis Comitiorum perorasset, totam Rempublicam adhortatus ad electionem optimi Principis.

XLI.

JOSEPHUS SZEMBEK

PLocensi Sedi immortuus est 1759. *Vide Lib. III. pag. 270.*

XLII

XLII.

VALENTINUS WĘZYK

Serpente pro Stemmate insignis.

LAurentiô Tribunô Ostrzeszoviensi, Mariannâ Olszowska Castri Vielunensis Præfecti Filiâ genitus 1705. die XXIV. Februarii, Parentum & optimorum Magistrorum disciplina in litteris institutus, ad sacrum Ordinem cùm adjecisset animum, Romam perrexit, ubi in Theologiæ & sacrorum Canonum peritiâ ingeniô eminuit, & perfecti studii palmam tulit. Redux in Patriam: inter Gnesnenses Canonicos adlectus, brevi ejusdem Metropolis Custos renunciatus, repetitis vicibûs ad Tribunal Judex, huic Regni judicio supremus arbiter præfuit, & quavis sententia docuit justitiam, afflictamq; litibûs plurium sortem ad optimum reduxit statum. Amabant æquitatem Viri Tribunalia, ipsi contendentes adorabant judicis oracula: Augustus verò III. æquus rerum arbiter tantæ virtuti paravit præmium, dum ad Chełmensem Sedem ex hoc justitiæ sacrario Benedicto XIV. commendavit Valentinum.

Romana approbatione 1753. in Præsulem consecratus solennem ingressum plaudente Diæcesi in suam Cathedram adornavit, Principemq; Ecclesiam non exiguis reparavit impensis: brevi Pastor optimus lustravit gregem, liberalemq; manum in ejus extendit beneficia; hyberna militi Polono stipendia (b) ab annis aliquot debebantur ex hæreditariis Ecclesiarum facultatibus, onus hocce ne majoribûs debitis cresceret, molestumq; esset sacro Ordini, sustulit propriô ærariô, & liberam Diæcesim fecit. Relinquit Præsuleam beneficentiam, pluraq; beneficiorum documenta, Ecclesiarum decorem posteritati ad exemplum & memoriam, nomini ad immortalem gloriam.

CA

(b) Hæc ultra tributa statui profano communia Ordo Ecclesiasticus ex bonis hæreditariis persolvit annis singulis.

CAPUT QUINTUM
De Epiſcopatu Kiovienſi.

ET hujus Diæceſis primordia controverſa ſunt: *Naramowſki L. II. C. XVII.* erectionem Sedis hujus tribuit Ladislao Jagelloni. Ejusdem ſensùs eſt. *Nakielſki in Miechovia fol: 400.* Cæterum Idem Nakielski in prædicta Miechovia fol: 247. *Hoc tempore, anno videlicet 1321.* inquit: *Kiovienſes cùm jam à centum annis propter dogma Græcanicum, Paſtorem & Clerûm Catholicum, quin & populum Chriſtianæ Religionis habere deſiiſſent; Stephanus Epiſcopus Lubuſſenus privilegio Sedis Apoſtolicæ innixus Fratrem Henricum Dominican Inſtituti Epiſcopum illis præf[illegible] qui Avenionem profectus à Joanne Pontifice confirma[illegible]n accepit, ſacris eum initi ante Berengario Epiſcopo Po[illegible]ſi XVIII. Kalend Januarii* Idem habet *Bzovius Annal Eccl: L. XIV. fol: 362. num: XII. ſub eodem anno 1321.* Præterea idem Bzovius Gerardum Ordinis Prædicatorum Provincialem 1232. a Gregorio IX. primum Epiſcopum Ruſſiæ, Kioviæ conſtitutum eſſe aſſerit. *Vide L. I. p. 208.* Ex quo patet, quod Diæceſis hæc pridem ſuos habuit Præſules, ſed ſæpe & diutius vacabat ob Schiſma illis in oris Ritui Latino ſemper adverſum.

Kiovia ad fluvium Boriſthenem ſita, Ducatûs Metropolis, adhuc temporibûs Boleslai Chrabry in Provinciam Regni Poloniæ cum ſuis ditionibus redacta fuit: idemq; Rex columnas ferreas, tanquam Regni ſui limites ad fluvium Boriſthenem erexit (c) eandem & Boleslaus Audax ferrô ſubjugavit. Poſterioribûs temporibûs cum Duces & Principes Poloniæ mutuis armis inter ſe decertarent, Kiovia Ducibus ſuis paruit. Nunc primùm Ladislao Jagelloni Regi & Hedvigi Reginæ, totiq;

(c) *Dlugoſſius Lib: II.*

totiq; Poloniæ cum aliis Ducibus Ruſſiæ Alexander alias Vigmunt Dux Kioviensſis fidelitate appromiſſa, ſe & terras ſuas 1388. die Inventionis S. Crucis Regno Poloniæ jure perpetuo ſubjecit. *Vide Lubienski de jure Polonorum in Ruſſiam.* Et licet idem Jagello tam Poloniæ quam Lithvaniæ imperans Kioviam adjunxiſſet Lithvaniæ, & Caſimirus Jagellonides 1447. ut ſcribit *Cromerus Lib: XXVII.* jus hoc Lithvaniæ ad Kioviam ut firmius redderet, ſvaſione ſuorum Lithvanorum Martinum Gaſtoldum Kioviæ primum Palatinum præfeciſſet; tamen 1569. jura ſua Polonis fortiter tuentibûs Kiovia Regno Poloniæ reſtituta eſt. *Vide Legum Volum II.* Tandem in anno 1686. Urbs hæc cum magna parte ditionum per Tractatus Moſchis ceſſit (d) minore Polonis relicta, in qua jurisdictionem habet Epiſcopus Kioviensſis. In illa paucæ admodum paræciæ Latini Ritûs numerantur, Eccleſiæ quòq; Religioſorum infrequentes ſunt.

Urbs hæc celebris eſt antrîs ſeu fornicibûs ſubterraneîs (e) longo tractu protenſis, frequenti locorum anfractu adeò implicatîs, ut antra hæc Labyrinthus quidam dici poſſint: & ſi quiſpiam locorum ignarus ea ingreditur, niſi ductorem habeat, errabundus vagatur, & ſolo caſu egreditur. A nonnullis dicuntur illa Czerniechoviam uſq; imo Smolenſcum, atq; Pieczorienſem Moſchoviam extendi, verùm *Joannes Herbinius in Kiovia ſubterranea* huic ſenſui contrarius eſt. Fornices hi non à naturâ, ſed devotâ induſtriâ Religioſorumq; loci admiranda arte elaborati ſunt; ibi quippe cellæ, cubilia, mauſolea, templa quoq; Antoniô & Theodoſiô, authoribûs præcipuis conſtructa extant. Ex pluribus duo ſunt celeberrimi, I. major, *Crypta Antonia* dictus, locus ſumme perplexus. II. minor, *Crypta Theodoſia* nuncupatus. (f) Hunc alterum Hilarion quidam cæpit

(d) *Lubienſki Geographia* (e) *Cryptæ vulgo, Polonis Pieczary dicuntur.* (f) *Herbinius C. IX.*

cæpit fodere, Theodoſius verò elaboravit, plurimiſq; ſacellis in illo loco ſubterraneo ſtructis adornavit: ipſe antra illa annis 40. incoluit, ibidemq; vitâ defunctus quieſcit. Uterq; locus hic pluribûs corporibûs incorruptis repletus, ut perhibent oculati teſtes.

Sed quo tempore antra hæc fodi cæpta & elaborata: corpora, quæ incorrupta ſpectantur, quo tempore ſepulta ſunt? nullus eſt, qui annotavit. *Joannes Herbinius in Kiovia ſubterranea C. I. I num: IX.* ſcribit: *Illis tam fauſtis Ruthenorum initiis cryptæ fodiebantur primùm, aut effoſſæ alicubi obiter prodi cæbantur. Non enim imperante Sviatoslao, Vlodimiro Cryptæ in Ruſſia fodi primùm cæpêre, ſiquidem ſuperioribûs Roxolanórum baptizationibûs Viri religioſi metu Tyrannorum Ethnicorum antra hujuſmodi ſubterranea, quibûs tutò laterent, forſan fodiebant: quod ipſam è libro in Vita Antonii & Theodoſii divinare licet.*

Epiſcopus Kiovienſis ſimul eſt Czerniechovienſis, ſed ubi & Provincia hæc per Tractatus ſub dominiũ Moſchoviticum abiiſſet, ſola denominatione Polonis relicta, Præſul Kiovienſis in illius ditionibus nullam habet jurisdictionem.

Eccleſia Cathedralis nunc Zytomiriæ fixum locum habet, quam Samuel Ozga XXIX. in ordine a fundamentis erexit ſub titulo S. Sophiæ; cujus Sanctæ effigiem pro ſuo inſigni habet Capitulum, componitur illud ad normam aliorum, unumq; ad Tribunal Regni eligit Judicem Deputatum.

Diæceſis hæc Berdyczoviæ in templo PP. Carmelitarum ſtrictioris Obſervantiæ (Diſcalceati in Polonia vocantur) habet Imaginem Deiparæ Virginis miraculis claram, quam non ita pridem 1756, die XVI. Julii coronis à Benedicto XIV. tranſmiſsis Cajetanus Sołtyk tum Epiſcopus Kiovienſis in confiuxu Procerum coronavit, ſolennes impenſas procurante Principe S. R. J. Antonio Lubomierski Enſifero Regni, Præfecto Caſimirienſi.

ORDO

ORDO & VITÆ EPISCOPORUM KIOVIENSIUM

I.

HENRICUS

ORdinis Prædicatorum Avenione in Epiſcopum conſecratus. Quod hic Henricus & non Petrus Viſſus, ut ſcribit. *Naramowſki Lib. II. C. XVII.* præceſſerit alios in hac Sede, præter Nakielſcium Bzovium ſuperiùs citatos, teſtes ſunt Okolski, Ruſzel, Frydrychowicz.

Privatum per annos plures ſuo Paſtore gregem religioſæ vitæ exemplô; & doctrina ſalutari inſtruxit, & quæ abſentibûs Epiſcopis irrepſerant, Paterna ſolicitudine emendavit. Prope trigínta annis in regimine expletis, in optima ſenectute deceſſit 1350.

II.

JACOBUS I.

HUnc quoq; Sacer Prædicatorum Ordo Kiovienſi Diæceſi dedit Præſulem omni virtutum & eruditionis genere probè excultum annis XXVII. illi præfuit. Obiit 1377. Leopoli in Eccleſia Patrum ſui Inſtituti cum vitæ ſuæ elogio ſepultus. Hoc tempore hunc Jacobum Kiovienſem rexiſſe Eccleſiam præter Scriptores ſuperiùs adductos, teſtatur Skrobiſzevius in Vitis Archiepiſcoporum Leopolienſium.

III.

PHILIPPUS

POſt prima & ſuprema in Ordine Prædicatorum religiose expleta munia, ut Diæceſi Kiovienſi præeſſet, dignus viſus eſt Sedi Apoſtolicæ. Obiit 1387. anno, quo Epiſtolam Ladislai Jagellonis de Libert: Eccl: in Lithvania ſubſcripſit juxta Strykovium.

IV.

MICHAEL I.

UT vitam ad omnem religiosæ modestiæ regulam componeret, magnam ætatem in ordine D. Dominici insumpsit: demum ad Kioviensem Sedem evectum Urbanus VI. approbavit. Accepit Diæcesis integra Præsulem, & ut normam vitæ optimæ coluit. Laboribûs suis non unam replevit Provinciam, altaria Ecclesias plures etiam in aliis Diæcesibus consecravit. Anno 1411. Ladislaum Jagellonem Kioviam invisensentem in suà Ecclesia hospitem adoravit. 1413. in oppido Horodło ad fluvium Bug Jagello Rex & Alexander Vitoldus Dux Lithvaniæ, denuo Poloniæ Lithvaniam arctiore vinculo adjunxit, & Magnates Lithvaniæ armis variis, quibûs pro stemmate more Polonorum uterentur, insignivit. Eam unionem Magni Ducatûs Lithvaniæ Michaël subscripsit. (g) Sculțetiam in Gębartowa Wola (bona illius erant) cum assensû Ladislai Regis 1422. cænobio Zarnovecensi perpetuis tabulis inscripsit. (h) Quo anno obiit? siluit antiquitas.

V.

ANDREAS I.

CRacoviæ Institutum D. Dominici professus fundamenta vitæ sanctioris jecit, & in omni probitate & eruditione perfecit. Kioviensis Præsul eos favores Ivani Gregorii Ducis Kioviæ meruit, ut ab illo justam magnitudinem ligni S. Crucis donô acceperit. Lætus tanto munere, illud Cracoviam ad Ecclesiam sui Ordinis deferre intendebat; sed ubi pervenit Lublinum, equi in suburbio superiore vi detenti substiterunt. Nullum erat viæ obstaculum, currus tamen cum sacro onere moveri non potuit. Novitate rei commota Civitas, tota

(g) Legum Volum. I. (h) Nakielski.

tota ferè in spectaculum effusa donum suum cælo disponente adorabat. Paruit quoq; Præsul superiori voluntati, sed ut aliqua parte ditaret Cracoviam, celte porrigi jubet, illoq; sacrosanctum lignum dividit. Sed nunquam impune abit violata Superum dispositio; ferrum manum Antistitis transverberans, præter vulnus & dolorem adeò dexteræ inhæsit, ut nulla vi posset extrahi. Pœna hac admonitus Andreas utramq; partem sacri ligni loco se oblaturum vovet. Vix votum nuncupavit, statim absq; ullo doloris sensu celte extrahit, sanamq; manum sola vulneris cicatrice manente, miraculi teste recipit. Satisfecit voto ac sanctum pignus totiùs Urbis lætitiâ & cultu ad Ecclesiam PP. Ordinis Prædicatorum detulit. Miraculum hoc descripsit carmine *Paulus Ruszel.*

Edita Pontificem miracula cœlitus urgent,
Ut Crucis hoc maneat portio vera loco.
Asportare cupit quoties, aut scindere tornô
Hoc toties ultrix pœna relicta vetat.
Ergo nec totum licuit, nec demere partem,
Hic sors dante Deo tota relicta manet.

Ecclesiam hanc salutari ligno Crucis per se dotatam sæpius invisebat Andreas, in qua etiam ad majus altare tumulum nactus est. Obiit 1434.

VI.

MICHAEL II

SAcer Prædicatorum Ordo in eos Viros excreverat, ut Kioviensi Ecclesiæ hunc Michaëlem non interrupto ordine sextum, alios aliis, ut Luceoriensi Culmensi, Chełmensi, Camenecensi, Camiensi, Lubuscensi, Pomesaniæ, Sambiensi & Gnesnensi Metropoli Antistites providerit. Baccoviensem verò in Valachia, licet hæc Provincia juris sit Turcici, etiam his temporibûs sæpius moderantur hujus Instituti Præsules. Non lon-

longo tempore, vix enim quinquennio Diæcesim rexit hic Michaël, maximô tamen illius bono nec minore suô meritô. Supremum diem obiit 1439.

VII.

JOANNES I.

HUnc & D. Dominici, & D. Francisci Ordo sibi vendicat. Religiosus Præsul modestia ubivis comite Diæcesim ad probitatis regulam curavit composi-tam, eiq; in omnibus præivit norma & exemplum. Abiit e vivis 1451.

VIII.

CLEMENS

PRimus ex Clero accepit regimen Kioviensis Ecclesiæ. Ad eam dignitatem non Natalium, hi enim erant obscuri (i) sed virtutum nobilitas erat suffragium Viro optime morato. Multa passus in regimine hujus Diæcesis, omnia invictô animô sustinuit, & gloriose vicit innata morum affabilitate. Annis XXII. in Episcopatu exactis, Sacramentis munitus 1473. mortalitatem exuit, Kioviæ sepultus.

IX.

ADALBERTUS NARBUTH

Tubis pro Stemmate insignis

EX Familia in Ducatu Lithvaniæ insigni oriundus. Vir strenuus, Religionis Catholicæ promovendæ studiosus, cùm multam in Episcopatu exegisset ætatem de eodem optime meritus in bona senectute vivere desiit 1506.

Ejusdem Nominis Provincia Polona S. J. habuit Basilium Sandomiriæ 1722. die 6. Januarii annô ætatis suæ LIX. defunctum, de omni litteratura meritum, sed vitæ

(i) Dlugossius Lib. XIII.

vitæ sanctitate magis insignem. Hic brevi ab obitu suo juveni cuidam stimulis carnis mire vexato, & nullum malo remedium habenti, exindeq: multum anxio, adhuc insomni apparuit eundem instruens, ut si virtutem suam vellet integram, hanc sæpiùs orationem diceret: *Deus, qui Basilium Narbuth occultô castitatis Martyriô decorasti, quæsumus, ut Ejus meritis & intercessione à carnis illecebra liberemur Per Christum Dominum Nostrum Amen.* Paruit adolescens, & liber evasit. (k) Post fata Augusti II. anno 1733. ad Comitia generalia convocata Respublica sanxit articulô LXXXIV. ut nomine omnium Ordinum Basilius ad Beatorum Fastos promoveretur. *Legum Volumen VI.*

X.

MATHIAS RADZIWIŁ OSTIKOWICZ

Tubis pro Stemmate insignis

EX Familia à Narimundo Duce Lithvaniæ procedente oriundus. Annis XXXIV. testimoniô Nakielscii hanc Diæcesim rexit magnâ prudentiâ & comitate, meritorum & dierum plenus obiit 1545.

XI.

JOANNES II. ANDRUSZEWICZ

AD Luceoriensem promotus Sedem. *Vide L. III. pag: 370.*

XII.

NICOLAUS I. PAC

De Stemmate Gozdava vide p. 34.

NIcolai Palatini Podlachiæ, & Alexandræ Ducis Holsatiæ Filius. Anno 1564. ad componendam Unionem Magni Ducatûs Lithvaniæ cum Regno Poloniæ per

(k) Niesiecki Tom III.

per annos aliquot strenuam dedit operam; in Comitiis Lublinensibus 1569. Unio hæc perfecta est. Ejus temporibûs Kiovia, quam ambiebat Lithvania, Regno Poloniæ adjuncta est. *Vide p. 137.* Et qui optime bonum publicum curavit, suæ quoq; Ecclesiæ non defuit, quam multis beneficiis adornavit. Mereri & vivere desiit 1580.

XIII.

JACOBUS II. WORONIECKI

HUnc Familia in Duces Visniowieccios, Zbarascios Poryccios, Woronieccios & Woynas divisa Patre Georgio, Matre Elisabetha Uchanska Orbi dedit. Ex Præposito Gieranoviensi & Caunensi Episcopus Kioviensis. Post obitum Piętkievicii promovebatur ad Sedem Samogitiæ, sed hanc urgentibûs Lithvanis Rex & Roma Melchiori Gedroyc detulit. *Vide p. 33.* Favore tandem Stephani Kioviensem obtinuit. Ab eodem Rege proxime ante fata disponebatur ad Gracoviensem Episcopatum; sed huic Sigismundus III. in throno Successor obstitit, ex ea ratione.

Post obitum Bathorei Stanislaus Karnkowski Archiepiscopus Gnesnensis cum magna Senatûs & Nobilitatis parte Sigismundum Joannis Sveciæ Regis, & Catharinæ Jagellonidis Filium ad Regnum Poloniæ nominavit. Hic verò Jacobus Zborowsciorum & Gorkarum partes secutus, Maximilianum Archiducem Austriæ Rudolphi Cæsaris Fratrem Regem promulgavit, utramq; cum suo electo expertus fortunam; nam Byczynæ cum Maximiliano captus, Primatialis dignitatis usurpatam potestatem Crasnostaviensi detentione eluit (*l*) Brevi, anno videlicet 1588. rerum infausto successu & mærore consumptus obiit.

De electione hac Sigismundi rem præcipuam annotavit

(*l*) *Zaluski Tom II.*

notavit in Vita Annæ Austriacæ *Stargardus L. I. C. V.* Anna hæc, postmodum Sigismundi III. Consors, ea nocte, quæ electionem Sigismundi in Regem Poloniæ subsecuta est, vidit per quietem Christum Regio diademate, sceptrô & pomô Regali adornatum, & sub illo stantes Sigismundum I. Sigismundum Augustum, Stephanum Bathoreum & Maximilianum cum Sigismundo Sveciæ Principe.

XIV.

JOSEPHUS I. WERESZCZYNSKI

De Stemmate Korczak

Tres sunt fluvii in campo rubro, quibus in pelvi canis exsertâ linguâ eminet.

ANdreæ Subjudicis Chelmensis, & Paroska Filius. Abbas Sieciechoviensis, hujq; cænobii Patronus munificus. Præter auctos proventus, bona ab Antecessoribus suis oppignorata ære proprio redemit: præter ædes religiosas liberali manu restauratas, Ecclesiam variis picturis, & sacro apparatu adornavit. A Sigismundo III. ad Kioviensem Sedem evectus, totum se laboribus Apostolicis immolavit. Rudem populum elementis fidei instruere, à sacris exedris perorare, moribundos in viam æternitatis disponere, velut primam & præcipuam officii pastoralis partem, in usum introduxit. Eruditos viros ipse Theologiæ Doctor magnâ benevolentiâ & cultu prosequebatur, in eorum convictu assiduus. Doctrinæ suæ non exigua reliquit monumenta in aliquot operibus in lucem editis: ex quibus *Speculum Christiani Principis* ab omnibus laudem meruit. Præsul temperantiæ singularis, aquâ, quandoq; cerevisiæ potu (hic Polonis est consvetus) contentus. Decessit e vita annô a partu Virginis 1599.

Ejus temporibûs Provincia Kioviæ 1590, quæ

dudum in Judiciis Regiis causas suas prosequebatur, ad Judicia generalia Tribunalis Regni remissa est; quod ipsum lege sua Respublica approbavit anno 1593. *Legum Volum: II.*

XV.

CHRISTOPHORUS KAZIMIERSKI

De Familia Biberszteinorum

EX Tarnoviensi Præposito Kioviensis Præsul: à Radzivilio S. R. E. Cardinale impetratus Diæcesim Cracoviensem ejus nomine lustravit. Ad Tractatus cum Scythia à Republica ex Comitiis annô 1613. designatus Patriæ rem ad vota cunctorum egit. Ecclesiæ suæ memor eam fecit multis beneficiis insignem. Obiit 1618.

XVI.

BOGUSLAUS RADOSZEWSKI

AD Luceoriensem Ecclesiam promotus. *Vide Lib: III. pag: 377.*

XVII.

ANDREAS II. SZOŁDRSKI

AD Premisliensem, demum ad Posnaniensem Sedem translatus. *Vide Lib. II. p. 151.*

XVIII.

ALEXANDER SOKOŁOWSKI

De Stemmate Pomian vide p. 32.

IN Scholis Posnaniensibus S. J. cùm ampla eruditione ætatem imbuisset, (a) ad Regiam evocatus meruit Ladislai IV. favores. Tremesnensis Abbas, & Ladislai

(a) *Extat nomen illius in Albo Sodalium Immaculatæ Conceptæ Virginis Collegii Posnaniensis S. J.*

dislai nominatione Episcopus Kioviensis, hujus Regis nomine ivit Romam, ubi in Ecclesia Domûs Professorum S. J. à Sancta Crucio Cardinale in Præsulem consecratus est. Redux in Patriam PP. Ord: Min: de Observantia Kioviam & Chvastoviam introduxit, suisq; fovit beneficiis. Ratione limitum inter Palatinatus Kioviensem & Czerniechoviensem lites frequentes interturbabant Diæcesim: eas contentiones ut componeret, in Comitiis generalibus 1638. legem obtinuit, qua designati Commissarii (inter hos ille primus) fines prædictorum Palatinatuum determinarent. (b) Accinxit se postmodum ordinandæ Diæcesi, quam optimis statutis circumscripsit, & Viris doctis adornavit. Licentiam rusticam (quæ illis in oris frequens est) ut intra limites modestiæ contineret, ære proprio legit militem. Obiit Tremesnæ anno post Christum natum 1644.

XIX.

STANISLAUS I. ZAREMBA,

De Stemmate Zaremba

Leo dimidius pedibûs extensis muro eminet, cui tres lapides infixi sunt.

MArtini Graboviensis Castri Præfecti, & Barbaræ Minska Filius. Ætatem scientiîs excultam Marti consecravit, militem scripsit, & strenuè ad Chotimum contra Osmannum, in Prussia contra Gustavum Seciæ Regem dimicavit, ac docuit utrumq; non una eorum clade Polonos non numerô, sed virtute pugnare & vincere. Heroem Viri animum compensans Sigismundus Grabovienseem Præfecturam Stanislao contulit, sed postmodum, cùm ad statum Ecclesiasticum adjecisset mentem, Ladislao Rege annuente eam Martino Fratri cessit. Verùm qui profanos Magistratus magnô sprevit animô, meruit, ut inter sacros emineret. Vacabas

(b) *Legum Volum III.*

bat tum Suleiovienſis cænobii præfectura, illam administrandam Stanislao Ladislaus dedit, & poſt obitum Sokołovii eundem ad Kiovienſem Epiſcopatum promovit.

Interea Ladislaus IV. plurimis victoriis glorioſus magno totius Poloniæ dolore humanis exēptus eſt. Poſt ejus obitum Acta Interregni 1648. & Confæderationem generalem Ordinum ſalvis juribûs & integritate bonorum Eccleſiæ, ac Electionem Joannis Caſimiri ſalvis eisdem juribûs ſubſcripſit. Convocavit ad ſuam Diœceſim plures laboris ſocios, ſed hi cum ipſo Præſule ob ſeditionem Coſacorum cedere furori ruſtico coacti ſunt. Caput turbarum Bogdanus Chmielnicki non poſtremus e Coſacorum militia: origo mali, prædium, quod Daniel Czaplicki Koniecpolſcii Ducis exercituum miles & famulus ambiebat: fomes verò inſolentia, & innatum Coſacorum contra Religionem Romanam & Polonos odium. Rem, quam Kochowski & alii uberrimè tractàrunt, ego breviter annoto.

Chmielnicki a natura & temeritate ad dolos & novitates compoſitus inter ſuos Coſacos eminuerat, ad quidvis audendum ut promptus, ſic inſolens. Habebat ille prædium Sobotowo non procul Czech yno, cujus potiundi cupido inceſſerat Czapliccium; ut itaq: villâ Chmielniccium privaret, apud Ducem Koniecpolſcium eundem ſeditionis incuſavit. Duci huic aliunde perſpectum erat Bogdani natum ad ciendos tumultus ingenium; quare evocatus ubi comparuit, in vincula conjectus diu delituit in carcere: operâ tamen nonnullorum Procerum, quibus, & ipſi Regi Ladislao ab arte militari notus erat & familiaris, dimiſſus, de Czapliccio fovebat vindictam. Contigerat eos ſecum armis vice quadam congredi, & quia in illo manuali duellio ſuperior Chmielnicki evaſerat, rurſum ad Koniecpolſcium defertur, à quo denuo in judicium vocatur. Ut falleret Czapliccium greſſus ſuos obſervantem, ad ſpeciem pa-

raba-

rabat iter Chmielnicki, ſed rebus ſuis metuens, in Tartariam propere excurrit, & Islan Gerei, Crimenſium Hani pedibus advolutus exorabat miſericordiam, ut ſibi afflicto totiq; Ruſſiæ populo ſuccurreret Facile impetravit omnia apud infenſum aliunde Polonis Hanum.

Redux in Ukrainam Bogdanus certus de Scytharum ſupp tiis præmeditatum orditur malum, pluſquam ſexcentis Coſacis, quibus ex ſolo piſcatu victus erat, ſpe facta melioris fortunæ, in ſuas partes inductis. Accendit vehementiùs furentis Chmielniccii paternum pectus fuſtibûs crudeliſſime per eos dies occiſus filius, quem ferociæ ſuæ immolaverat Czaplicki. Itaq; amplius gemitum & furorem non tenens, ſpe libertatis, ſpecieq; Religionis plebem circa Boriſthenem, & nonnullas civitates ad ſeditionem commovet, datiſq; mandatis omnia, quæ circa fluvium prædictum Polonorum erant, igne & ferrô vaſtat. Hoc ſucceſſu tumidus, cùm vires ſuas auxiſſent Tartarorum copiæ, ad aquas flavas (c) proceſſit.

Ad opprimendum in fonte malum, cum Sapieha, Czarnieccio, Schembergio à Nicolao Potocki, qui in ſuprema armorum præfectura Koniecpolſcio ſucceſſerat, Stanislaus Potocki Filius annorum XXVI. adoleſcens expeditus, Coſatici furoris victima occubuit: Sapieha, Czarniecki, Schembergius, capti in vincula abierunt. Nec melior ſors contigit ipſis Ducibus: Nicolao Potocki, & Martino Kalinowski Campi Ductori, Adamo Sieniavio, aliiſq; Poloniæ Proceribus; qui clade ad aquas flavas magis exacerbati, quam territi, ad Corſunum cum ſeditioſis congreſſi multis ſuorum, & acie integrâ amiſsâ, in Tauricam captivitatem abducti, magnô pretiô poſtmodum libertati, & Patriæ reſtituti ſunt. Eâ victoriâ plebs inſolens cum ſuo Chmielniccio in Podoliam & magnam partem Lithvaniæ majori furore ſæviit: hanc Złotarenko, illam Cryvonoſſiô, vaſtantibûs.

 De

(c) *Zolte wody lacus Polonis dictus.*

De Złotarenko, cujus mentio hic incidit, rem ultra naturæ cursum annotavit *Kochowski Climacter I. Lib: VII.* Anno 1654. oppugnabat ille Szkłow oppidum, ter ab obsessis repulsus, dum locô omnino potiri intendit, & conatui ferocius instat, cum quinque millibus oppugnantium cæsus occubuit. Huic justa persolvere Czechrynæ Chmielniccium incesserat cupido, & in eam rem ligneum majoris molis erexit delubrum. Corpus occisi illatum ædi. Ad diem pompæ funebri indictam aderant e clero græci ritûs, e Moschis hospites, & Cosacis potiores. Cum interim ante sepulturam cadaver Złotarenko sese attollere, terrrere, ingemiscere visum & auditum est: seu permissu Divino, seu infernali geniô vices mortui obeunte. Multis talia audientibus videbantur impossibilia; quare ab aliis spreta, ab aliis risu accepta. Cùm ecce, ordientibus piaculare sacrum sacrificulis, cæpit defunctus manus attollere, ex quibus magna sangvinis profluxit copia; corripuit metus singulos: cùm, illo sublata voce ter inclamante *fugite*, omnes se e delubro proriperent, tanta festinatione, ut accensi ad funebrem actum ignes per tumultum fugientium commoti ædem incenderent, infelicesq; exuvias rogum promeritas absumerent, cum multorum interitu, ob difficilem in eo tumultu exitum. Id ita se habuisse Daniel Wychowski, non postremus è Cosacorum militia, oculatus testis, retulit præsens postmodum Varsaviæ. Hæc ex occasione, jam redimus ad Chmielniccium.

Ne hic omnem reverentiam Majestati Polonæ debitam abjecisse videretur, Legatos ad Regem, litteras ad Kisielum Palatinum Bracłaviæ expedivit, quibûs factum suum excusabat, nempe, quòd contra potentiam aliquorum se & Cosacos infestantium arma stringere coactus esset; & quia sors iniquior obtigit Polonis, id non suæ temeritati, sed belli aleæ, & fato tribuendum. Mors interea Ladislai Regis anno eodem intercessit: post

post cujus obitum cùm omnia in Republica turbarentur, Chmielnicki ferocior majores colligebat vires. Ad nuncium victoriæ populus rerum novarum cupidus undiq; convolavit, justumq; exercitum conflavit rebellio.

In tam ardua rerum vicissitudine ne sibi deesset Respublica, motu communi excivit Nobilitatem: lectus per Palatinatus miles, constituti Triumviri, in Polonia dicti *Regimentarii.* (d) Dominicus Dux Zasławiæ Palatinus Sandomiriensis, Nicolaus Ostrorog Pocillator, & Alexander Koniecpolski Vexillifer Regni. qui rei militari præessent. Ad Piławce pervenit exercitus: Chmielniccius quoq; cum tota virium mole non segnis properavit.

Nec ejusmodi expeditio, ita fatis disponentibûs, optato eventu cessit Polonis. Sustinuit equidem primum hostis impetum Stanislaus Vitovius Castellanus Sandomiriensis cum legione suæ Provinciæ: Sandomirienses copias auxerunt Masovii, accurrit in suppetias cum lecta suorum manu Ossolinius castri Stobnicensis Præfectus; sed cùm fortiùs quàm cautiùs inveguntur in hostem, nec locus palustris aciem commodè explicare permittit, à multitudine circumventi, plures non absq; Cosacorum strage desiderati, Vitovius Ossolinius equis amissis ægre suis restituti sunt. Terruit ea res Polonos, quare nocte intempesta, die XXIII. Septembris 1648, cùm & electio novi Regis immineret, castra deseruerunt, quæ Bogdanus diripuit, & nihil viribus suis obesse advertens, Leopolim progressus, urbem obsidione cinxit: quæ exiguô præsidiô munita magnô lytrô libertatem emit. Processit ultra hic urbium & villarum prædo, ubivis magnam vastitatem circumferens, & vigesimis castris pervenit Zamostiam: utq; ea urbe muris & propugnaculis prævalida potiretur, egit armis & astu; sed Joanne Zamoyscio Całussiensi Præfectô, loci hærede, & Ludovicô Veiherô Castellanô Elbingensi,

 Viris

(d) *Hi designantur, cùm Duces exercituum absentes fuere*

Viris ab arte militari commendatis munitionem strenue defendentibûs, cùm nihil profecisset; præterea cùm Joannem Casimirum Ladislai defuncti Fratrem rebus Poloniæ supremis præfectum fama certa etiam ad castra Cosacorum detulisset; Chmielniccius sive reverentiâ Regis electi, sive successûs metu obsidionem solvit, & in Ukrainam insolentiâ & populatione infamis rediit.

Absoluto solenni cum militari apparatu Kioviam ingressu, continuit se aliquantum in officio, sed vel ideo ut fortior contra Poloniam insurgeret. Expediverat quidem Rex Kisielum Palatinum Braclaviensem, Maskovium Leopoliensem Succamerarium, Kisielum Novogrodensem Vexilliferum, & Zielinscium Pocillatorem Braclaviensem, qui ferocem hominis indolem componerent, & ut citius emollirent, vexillum suo nomine inscriptum, clavam, insigne præfecturæ in exercitu Zaporoviano, dona Regia Bogdano deferenda superaddidit. Accepit munera Vir suo fastu temerarius, sed ut adjiciebat: Turcæ patrociniô firmus, juratis Scytharum armis invictus, qui sibi & suis Cosacis ubivis præsto essent, ulteriores favores Regios & Poloniæ inanes existimavit & contempsit. Actum postmodum de captivis, ut dimitterentur, aut saltem lytrô numeratô redimi permitterentur. *Frustra verba perdi* respondit impudens Chmielniccius *abitum concedi hospitibus, captivis vincula subeunda.*

Belli renascentis rumor perlatus Varsaviam, Regem Proceres vertit in solicitudinem & curam Patriæ. Missus cum Andrea Firleio miles in Volhyniam, qui hostem distineret, & à populatione arceret. Post varias velitationes venit ille Zaslaviam, demum Zbarazum, utq; ab imminente hoste securus esset, propugnaculum struxit, vallisq; & fossis munivit. Adfuit e vestigio Tauricæ Princeps Islan Gereius ultra centum millia suorum numerans: accurrit & Chmielniccius ultra ducentis

tis

tis millibûs, (si fides danda Scriptoribus) armatus. Eas vires conflavit seditiosa Ukraina, ac si in duodecem millibus, quos Poloni pugnæ idoneos ad Zbarazum locarunt, totam Poloniam debellatura esset.

Magno impetu munitionem adortus Bogdanus, sed non parva clade rejectus, cùm heroës expertus esset, omni ex parte castra cinxit. In longum obsidio potracta annonam & rem tormentariam consumebat, jamq; nisi Hieremiæ Wisniowieccii, & Alexandri Koniecpolscii probata virtus esset subsidio, conclamatum erat de castris Polonis. Cæterum fames omni hoste major, morbi & mors plurium diminuebant vires obsessorum, non tamen animum ad ferenda quævis pessima paratissimum. Prodigio certe affine fuit, Virorum XII. millia ægrè computata, vulneribûs, inediâ, cæli inclementiâ exhausta, trecenta millia ferocissimarum gentium invictâ animi constantiâ sustinuisse. Bimestris obsidio, oppugnatio prope continua fuit: viginti generales assultus numerati: sex supra decem equestribûs præliis decertatum: septuaginta quinque eruptiones per Polonos institutæ, pleræq; successu prosperrimo: septuaginta tormentis ab hoste fulminatum, nullo fructu.

Interea cùm certi nuncii miserum rerum statum in castris Zbaraziensibus afflicto Regi deferrent, properavit in suppetias Casimirus, ac longo viarum tractu Zborovum pervenit. Expeditio hæc minime latuit Chmielniccium, qui ubi Regem adesse intellexit, animi magnitudini attribuit, quòd se exiguis copiis contra stas numerosas phalanges permisisset. Quare ut gloriam intenderet, & quasi divisus de gemino exercitu & Rege ipso triumpharet, vires ita dispofuit, ut cum una earum parte Regi occurreret, alteram ad Zbarazum continuandæ obsidioni relinqueret.

Belli hujus moles utriq; parti magna sangvinis effusione incubuit; dimicatum sæpius, sed multitudo

hostis

hostis continuis aucta agminibûs vinci non poterat. Rex metuens, ne suæ copiæ frequenti conflictu minuerentur, & præcipuè, ne miles ad Zbarażum obsessus ultima clade succumberet, consiliô Georgii Ossolinii Regni Cancellarii, hujus expeditionis primi post Regem Præfecti, per pacis conditiones arma deponere non abnuebat; subibat nihilominus anceps solicitudo de modo pacis ingerendæ: eam ut Rex prior proponeret, obstabat gentis honor & majestas; ut illam præstolaretur, crudelis mora & perniciosa obsessis, videbatur cunctatio. Provinciam assumpsit Ossolinius, & solerti ac probata prudentiâ perfecit.

Scytham captivum dimisit litteris ad Hanum instructum: his svadebat ille potiorem cum Polonis, quàm Cosacis amicitiam, quos sæpius hostes Taurica, Polonos ipse Islan Gereius amicos expertus esset, Regum Poloniæ beneficiô vitam & imperium adeptus; nunc verò hostem non ex merito ageret. Metuendum ipsimet, ne Cosaci, qui se socios simularet, ubi in vires crescerent, odia & arma in eos, quorum ope modò nituntur, suo tempore converterent. Seria mente legit Hanus paginam, & dum sive protractum non sine suorum cæde bellum revolvit, sive immeritam hostilitatem cum proficua amicitia confert, pacisci velle respondit. Ejus quoq; operâ Bogdanus mitiùs agere compulsus: frequenti postmodum colloquiô pax coalita. Chmielniccius inter alias pacis conditiones ad præfecturam militis Zaporoviani bonis Czechrynensibûs auctus, XIX. Augusti 1649. deprecaturus Regem in castra venit, & ad ima pedum Casimiri provolutus, cùm de suis facinoribus ac Regis clementia non pauca prolocutus esset, fidem jure jurando coram delegatis obstrinxit.

Sperabatur jam ab armis quies, sed homo sangvinis Poloni semper sitiens nusquam indolem mutavit. Sæpius inter eundem Cosacos & Polonos pax & fædera per Commissarios (quorum caput inter Polonos fuerat Zaremba Præsul) inita, sed à fædifrago semper rupta sunt. Berestecense postea trium dierum prælium, quod Polonis fortunatè cesserat annô 1651. attrivit Cosacorum vires, non tamen fregit pertinaciam seditiosi ad fata usq; Chmielniccii, qui plurimum Polonorum sangvinem rustico furori litavit, eoq; in perniciem Patriæ animari visus est. Obiit ille 1657. plusquam novem annis semper hostis Poloniæ, relictô filiô Georgio, XVI. annorum puerô, qui postmodum in regimine exercitûs Zaporoviani Joanni Wychowski successit.

Tantæ Diæcesis suæ & totius Poloniæ cladi continuo illachrymans Præsul, anno 1653. contabuit: Joannem Leszczynski Successorem nactus.

XX.

JOANNES III. LESZCZYNSKI

PRæsul absq; exercitio muneris in sua Diæcesi ob seditionem Cosacorum: ad Culmensem Sedem translatus *Vide p. 97.*

XXI.

THOMAS UIEYSKI

Fluvio Srzeniava dicto, pro Stemmate insignis.

STanislai Notarii Castrensis Sandecensis Filius. Juventutem cùm sublimioribûs litteris excoleret, ad Societatem JESU concepit animum, utq; voti compos foret, Nicolao Lancicio Provinciali sæpius supplex erat. Probabat intentiones adolescentis Lancicius, sed desideriis satisfacere noluit, ominatus, nunc primum post administratum gloriosè Præsulis officium, aditum ad Societatem habiturum, multisq; ad optimè agendum, juve-

juvenem adhortatus est. Gessit morem effato tanti Viri totumq; se Divinæ voluntati permisit. Sacris Ordinibûs initiatus, brevi in Varmiensi Canonicorum cætu eminuit Præpositus: non tantum dignitate, sed laboribûs Apostolicis in illa Diæcesi, quæ etiam Brandeburgi ditiones complectitur, aliis præire studuit, pluresq; Ecclesiæ Romanæ lucratus est. Viri in agendo modestia, morum affabilitas erat cunctis illicium ad veram Religionem, sed metus sui Principis erat obstaculum. Meruit peculiares gratias Comitis de Schleiben magnarum facultatum hæredis, tantumq; in illis valuit, ut is licet à Romana fide alienus, filiam recens natam sacro fonte abluendam à Thoma curaverit. Offendit ea res suæ sectæ administros, quare ad Principem delata, qui in Thomam cùm pænas extendere non posset, Comitem Filiæ Parentem summâ 30000. Imperialium punivit. *Zaluski Tom: II. Epist: Famil.*

Plocensis postmodum Abbas, tandem promovente Viri virtutem Joanne Casimiro, Roma probante Kioviensis Præsul (e) in afflictoDiæcesis statu optimi Pastoris adimplevit munia. Nec suis obsequiisPatriæ defuit; ad augendam rem monetariam, ad definiendos limites Terrarum Zytomiriensis & Ovrucensis in Palatinatu Kioviensi, ad decidendam controversiam ratione bonorum inter Clerum ritûs Græci, ac cænobia ejusdem ritûs ex Comitiis Varsavienfibus in anno 1659. designatus egit rem justitiæ. Pacta Olivensia inter Poloniam Sveciam & Ducem Prussiæ 1660. subscripsit. *Regum Volum IV.*

Cùm verò Joannes Casimirus per annos prope viginti variam rerum vicissitudinem perpessus, stupente & dolente Polonia, Europa mirante Regnum abdicasset; Thomas tanti Principis exemplum sæpius perpendens, relictis beneficiorum suorum monumentis in Eccle-

(e) *Quòd Joanni Leszczynski successeris, testis est Rudawski qui illius scriptor, Hist: Pol: L. IV. C. V. & XII.*

Ecclesiis restauratis & consecratis, Seminario Sandomiriæ condito. ædibus Religiosis proventu auctis, Virginibus exdotatis, profusa in pauperes liberalitate, anno a partu Virginis 1677. honoribus fluxisq; rebus nuncium remisit, ac annuente Romana Sede Societatem JESU ingressus est. AbsolutòTyrociniô ut Vilnensem Domum Professorum regeret, Religiosâ obedientiâ cogi debuit. Postquam ultimum diem sibi imminere præsensit, ad domum Tyronum descendit, ut ubi primum Religiosum spiritum excoluit, supremum poneret. Obiit plenus dierum & meritorum anno ætatis suæ 76. die 1. Augusti Vilnæ, Societatis duodecimo, à Christo nato 1689.

XXII.

STANISLAUS II. WITWICKI

AD Luceoriensem, demum ad Posnaniensem Sedem translatus est. *Vide L. II. p. 159.*

XXIII.

ANDREAS III. ZAŁUSKI

AD Plocensem promotus Episcopatum, quem cum Varmiensi commutavit. *Vide L. III. p. 355.*

XXIV.

FRANCISCUS PRAZMOWSKI

OBiit in Luceoriensi Sede. *Vide Lib. III. pag. 88.*

XXV.

NICOLAUS II. SWIĘCICKI

EX Kioviensi Posnaniensis Episcopus, *Vide Lib. II. pag. 161.*

XXVI

XXVI.

JOANNES IV GOMOLINSKI

De Stemmate Jelita vide pag. 10.

EX Archidiacono Plocensi, Vicario Officiali in spiritualibus GedanensiKioviensis Antistes, ab Augusto II. ad CæsaremLegatus omnem intendit curam, ut Regis & Reipublicæ vota optato effectu cumularet. Ætate fractus obiit 1711.

XXVII.

VALENTINUS ARCEMBERSKI

De Stemmate Arcemberski

Campus est divisus, cujus partem inferiorem tabula occupat latrunculorum lusui apta, superiori verò cervus ad cursum paratus eminet.

POst varias dignitates Ecclesiasticas cum laude obitas in Sede Kioviensi Gomolinscio successit, quam rexit ad annum 1717.

XXVIII.

JOANES V. TARŁO

PEtro Tarło in Episcopatu Posnaniensi successit. *Vide Lib: II. p. 162.*

XXIX.

SAMUEL OZGA

De Stemmate Rawicz vide p. 23.

JOannis Pocillatoris Leopoliensis Filius teneram ætatem, quam optime compositam curavit, in scholis Leopoliensibus S. J. juncta virtuti eruditione excoluit, verumq; Samuelem in se expressit; cùm, quòd de illo puero, de juvene Ozga dici potuit: *Samuel proficiebat, & placebat tam Domino, quàm hominibus.* (f) In tanto

(f) *I. Reg: III.*

adolescente multa sibi pollicebatur Domus inclyta, multa ominabatur Patria, & cumulavit vota omnium. Adhuc litterarum alumnus Clericorum (ut dicimus) sæcularium statum amplexus, ut ad normam Indigetis sui ministraret in conspectu Domini. Scholasticus Chełmensis, Leopoliensis Præpositus sacrum utriusq; hujus Cathedræ cætum morum probitate insignem fecit. Tribunalia Regni, in quibus sæpius Judex litigantium querelas decidit, ut animô præcelsô, sic justitiâ adornavit; non illum opes, non personarum dignitas, non spes munerum traxit in diversa, ad legum præscriptum, ad æquitatis regulam Judex Samuel tulit sententiam.

Ad Posnaniensem Sedem interea promovebatur Joannes Tarło ex Episcopatu Kioviensi, Diæcesis hæc sat ampla, sed in operariis exigua indigebat strenuo Præsule, qui eam solicitudine Pastorali, & vitæ exemplô excoleret. Tanto muneri Ozga maximè idoneus visus est Augusto II, quare ad labores Præsuleos in Provincia Kioviensi eundem invitavit, & Sedi Apostolicæ proposuit: nominationem tanti Viri facile probavit Innocentius XIII.

In Antistitem 1722. consecratus primam adjecit curam, ut Ecclesiis, quotquot illæ erant, optimos provideret Rectores: evocavit & plures Religiosorum Ordinum Viros, qui rudem populum in sylvis victum elaborantem mysteriis fidei imbuerent, & Sacramentis reficerent. Deerat Princeps Episcopatûs Ecclesia, hæc Ritui Græcô cessit, cum Urbs Kiovia, Diæcesis caput cum magna Palatinatûs parte per Tractatus in dominium Moschorum concessisset: Illi Zytomiriæ locum constituit Samuel, fabricam munifica manu promovit, quæ cùm in favillam abiisset, repetitis impensis aliam condidit, perenneq; liberalitatis Pontificiæ monumentum reliquit. Triginta trium annorum Præsul, cum sibi ad immortalem gloriam satis, ad desideria Patriæ parum vixit.

vixisset, anno 1756. in humanis esse desiit. Leopoli in Templo S. J., ut elegerat, sepultus.

Kioviensis Canonicorum cœtus, gratus Samueli Antistiti, cum suo Præsule Cajetano Sołtyk, quem Coadjutorem adsciverat, dum in Ecclesia Zytomiriensi mortuo parentaret, funebrem apparatum variis inscriptionibûs adornavit: ex multis unam annoto, quam lugubris Poëta insigni Domûs Ożgarum præfixit.

Et gemis, & tollis dextras ad sydera Virgo,
Non reddent terris, quem rapuêre poli.

XXX.

CAJETANUS SOŁTYK

ANdreæ Załuski successit in Cracoviensi Sede. *Vide Lib: I. pag: 381*

XXXI.

JOSEPHUS ANDREAS ZAŁUSKI

De Gente Junoszarum.

Agno pro Stemmate insignis.

NOmen à scientiis, in Libris in lucem editis Poloniæ Italiæ, Galliæ, aliisq; Provinciis notum. Alexandri Josephi Palatini Ravensis & Theressiæ Podkanska Filius, Andreæ Cracoviensis Episcopi non ita pridem vitâ functi Frater. Indolem ad optima natam in Polonia & variis Europæ Regnis expolivit, illeq; in Patriam rediit, ut inter eruditos sui ævi facilè Princeps censeri & adorari meruerit. Non postremæ in Orbe Academiæ, ut decus à tanto haberent Viro, suum Collegam impetrârunt. Ultra viginti quinque, præter minores lucubrationes, opera in lucem edidit, quibûs Nomen suum, Familiam, Poloniam gloriosam & eruditam fecit. Domi Scriptor, in Templis sacer ab exedris Ecclesiastes, variorum Principum funebris Orator, integerrimus Patriæ Consul, in Tribunalibus Regni legum & justi-

justitiæ custos: merito à Janotzcio in Polonia Litterata dictus: *Lucidissimum totius Septemtrionis Sydus summumq; rei apud nos* id est Polonos *litteratæ caput, cui similem Polonia neq; vidit hactenus, neq; unquam, ut ego arbitror* inquit Janotzcius *iterum est visura.*

Dignitates, quibûs Virum adornârunt Canonicorum Collegia Cracoviense, Plocense, Varsaviense, collatæ aliis, satis erant magnæ; Josephi meritis quia majores debebantur, eas superaddidit Polonia, & Abbatem Hebdoviensem, tum Vąchocensem, ac Supremum Regni Referendarium, demum Episcopum Kioviensem esse voluit. Et ne Patriis duntaxat emineret honoribûs, fecit Gallia Abbatem Fontanetti Villariæq; Betnaci Lotharingia.

Romana diplomata nactus & in Præsulem consecratus à Cajetano Sołtyk Cracoviensi Episcopo, suo in Sede Kioviensi Prædecessore in Diæcesim movit gressum: deflexit in itinere Berdyczoviam, ut à Matre gratiarum illo in loco miraculis clara fortunatum regimen impetraret. Zytomiriam ubi pervenit, honore Præsulibus debito à sacro Canonicorum cætu, à Nobilitate, ab universo populo in adventum Pastoris sui congregato acceptus, ordinatâ Ecclesiâ, lustratâ Diæcesi ad labores Apostolicos evocavit Operarios, & Chvastoviæ hanc spiritualem messem (Missiones dicimus) ipse pars magna laboris instituit. Kioviam postmodum, olim Episcoporum Kioviensium Sedem invisit, exceptus magna humanitate ab Arsenio ritûs Græci loci Antistite, à Luca Białoszevicio Pieczariensi Archimandrita, (a) à Comite Łapuchino Exercitûs Moschovitici Generale, Urbis & militis præsidiarii Præfecto, ab Epiphanio Naszczynski Archimandrita, Urbis Academiæ Rectore, à Professoribus vero Universitatis culta latinitate salutatus est. Post mutua humanitatis officia redi-

(a) *Abbates ritûs Græci eo nomine vocantur.*

rediit gloriosus, & dignitates Cathedralis Collegii inter Canonicos distribuit.

Pro cura & solicitudine Pastorali vivit obligata Diæcesis tanto Pontifici: Patria parat laborum præmia, quibus in sacro Senatu emineat: præcipuam verò ac perennem Præsulis hujus memoriam conservat Respublica litterata, ac tota Polonia, quam Bibliothecâ publicâ, plurimis libris, manuscripis vetustissimis magno sumptu quæsitis, propriis operibûs refertâ in Urbe Regia Varsaviensi ad ornamentum & totius Regni commodum commendatam reddidit. (b) Hoc illius monumentum tota Polonia qua late patet, nusquam satis deprædicabit Orbi, laudesq; comprehendet sensu Plinii, qui putavit *Beatos, quibus Deorum munere datum, aut facere scribenda, aut scribere legenda, beatissimos verò, quibus utrumq;* Plinius apud Zegliccium in Bibliotheca Politica.

CAPUT SEXTUM
De Episcopatu Camenecensi.

Podolia cum suo Cameneco, antequam proprium haberet Præsulem, Cracoviensibus Episcopis paruisse in spiritualibus scribitur à Skrobiszevio. Nunc primum, ut *Tomo I.* concludit *Niesiecki* in Diæcesim diversam conversa est, temporibûs Ludovici Poloniæ & Hungariæ Regis probante Gregorio XI. Summo Pontifice, primusq; illi ab eodem Niesieccio scribitur præfuisse Vilhelmus ex Ordine S. Dominici, qui post breve suum regimen 1375. obiit, ut *Kasz. l & Okolski* asserunt. Scribit quidem *Cromerus L. XIII.* cujus sensum & ego adduxi *L. I. p. 209.* Leopoliensem Episcopatum Camenecum translatum esse, cum Sedes Metropolitana Haliciâ Leopolim transferretur. Cæterum hanc mentem suam Idem Cromerus mutasse creditur; nam *Lib: XVII.*

(b) *Vide Lib: II. pag. 90.*

XVII. ubi translationem hanc Metropolitanæ Sedis describit, diserte dicit: Alexandrum Episcopum Camenecensem uno eodemq; anno obiisse cum Jacobo Haliciensi Archipræsule, cujus tertius in Sede Haliciensi Successor Joannes Rzeszowski Archipræsuleam dignitatem Leopoliensi Urbi attribuit. *Sub idem tempus* inquit Cromerus *Jacobo Haliciensi Archiepiscopo, & Alexandro Episcopo Camenecensi, mortuis, huic quidem Andreas nescio quis, illi vero Nicolaus Traba Pro Cancellarius Regni Successores dati sunt. Quanquam Nicolaus Traba eodem ipso anno ad Gnesnensem Archiepiscopam translatus est; Trabæ verò Joannes Resszovius in Haliciensi Successor datus, qui Archiepiscopam illam postea Leopolim transtulit.* Ex quibus verbis Cromeri patet Cameneci jam eminuisse dignitatem Præsuleam cùm Sedes Archiepiscopalis Haliciâ Leopolim transferebatur.

Camenecum totius Podoliæ caput Alexander, Constantinus, Theodorus & Georgius Coriathi Ducis Novogrodēsis Filii sub tēpora Olgerdi Ducis Lithvaniæ condidisse traduntur. (c) Urbs hæc vel ab ipsa natura munita est: eam circumdant rupes insignes, & fluvius Smotrycz naturali alveo circumluit: Naturæ in locis pluribus nec ars defuit, quæ anteactis sæculis ferè inexpugnabilem fecit; ut merito propugnaculum & antemurale Poloniæ contra Turcas dici & haberi meretur. Ipse Osmannus Turcarum Imperator illam cùm è monte vicino perspexisset, &, à quonam sic munita esset, quæsivisset, ubi à Deo sic erectam audivit, dixisse fertur: *Itaq; Deus ipsemet eam expugnet.* (d) Hæc tamen Urbs 1672. magno Poloniæ & totius Christianitatis dolore expugnata a Turcis, sed denuo restituta paret Poloniæ *Vide infra.*

Diæcesis hæc non adeò ampla componitur ex Decanatibus: Camenecensi, Dunaioviensi, Satanoviensi, Ja-

L2

(c) *Kojalowicz Part: I. Lib. VIII. de rebus Lithvaniæ,*
(d) *Rudawski L. IV. Naramowski L. II. C. XVIII.*

Jazłovecensi, & Miedzybozensi, quos Venceslaus Sierakowski, cùm Diæcesim lustraret, in meliorem redegit ordinem. Ecclesias Parochiales complectitur 40. habet & alias Religiosarum Familiarum, sed hæ, dum sub jugo Turcico gemeret Podolia, vastatæ antiquam integritatem & decorem variorum beneficiis vindicant.

Camenecum ipsum præter Cathedralem Ecclesiam SS. Petri & Pauli Apostolorum, in cujus cæmeterio arbor pomifera floruisse & quot fructus, tot cadaverum effigies seu calvarias protulisse scribitur a Naramowscio *L. I. C. VI.* habet Ecclesiam Cathedralem ritûs Græci, ac aliquot ejusdem ritûs: binas quoq; ritûs Armeni. Præter Ecclesias variorum Religiosorum Ordinum, extat Cameneci PP. Ord: Min: Conventualium S. Francisci ædes Sacra, in qua colitur imago S. Antonii Paduani, sub tempus possessionis Turcicæ à Bassa Camenecensi ex contemptu in facie ferrô cæsa, cicatricem huc usq; nulla arte oblitterari valentem præferens, miraculis & concursu etiam Ruthenorum celebris.

Capitulum Camenecense, cujus stemma est effigies SS. Apostolorum Petri & Pauli, componitur ex Decano, Præposito, Archidiacono, Custode Scholastico, Primicerio, Cancellario & aliquot Canonicis, suos congressus celebrat die festo SS. Petri & Pauli Apostolorum, quo tempore unum Judicem Deputatum eligit ad Tribunal Regni. Exignos antehac habebat proventus, quare ut illos augeret Venceslaus Sierakowski, bona primorum Canonicorum, (quæ vulgo apud Spirituales præstimonia vocantur) eisdem consentientibus, ut post eorum fata toti Canonicorum cætui cederent, disposuit & sanxit. Episcopatus ipse ab continuas variorum hostium incursiones cùm non esset sufficiens ad sustinendos Præsules, Respublica lege sua anno 1633. sanxit, ut illis proventus augeretur ex administratione alicujus Abbatiæ vel Præpositura.

ORDO

ORDO & VITÆ
EPISCOPORUM CAMENECENSIUM

I.
VILHELMUS

HUnc probata virtus, & gesta in Ordine D. Dominici munia dignum fecerunt, ut novo præesset gregi, illum ut longius regeret, mors invidit. Obiit 1375.

II.
ROKOSSIUS
De Stemmate Ostoia

Duæ sunt lunæ crescentes coloris aurei in campo rubro tergô ad se conversæ & gladius erectus acie demissus in earum medio.

CUm Vilhelmus in primordiis Episcopatûs Camenecensis decessisset, Rokossius ejus Successor Cathedram hanc ad normam aliarum disposuit institutô Canonicorum cætu. Plurium annorum Antistes de omnibus optime meritus, anno à Christo nato 1398. obiit.

III.
ALEXANDER

SChisma, quod Duce Phocio Græcam in Oriente infecit Ecclesiam, etiam in Russiam penetravit; egit multis Alexander, ne malum hoc in sua Diæcesi serperet, pluresq; Romanæ Ecclesiæ restituit. Majora pro fide parabat obsequia, sed optimi studii Præsulem mors inopinata eripuit annô 1411.

IV.
ANDREAS I.

POst obitum Alexandri Sedem hanc ambiebant multi,

ti; eam ut hic Andreas moderaretur, & Jagelloni Regi, & Joanni XXIII. dignus visus est. Illi vix annis duobûs præfuit; 1413. tumulo illatus.

V.

SBIGNEUS

QUod huic Diæcesi præfuerit, patet ex Volumine Legum I. cùm enim Jagello in comitiis generalibus Horodli ad fluvium Bug 1413. celebratis varia privilegia & libertates incolis & Ecclesiis Lithvaniæ largitus esset, inter præsentes annotatus est Sbigneus Electus Camenecensis Episcopus.

VI.

MATHIAS I.

HUnc præfuisse Camenecensi Sedi annotavit *Okolski in Russia Florida*: sed quo anno eam moderari cæpit, & quo illatus est sepulchro? nullam mentionem fecit.

VII.

PAULUS I.

POst obitum Vitoldi Ducis Lithvaniæ Ladislaus Jagello administrationem Ducatûs hujus Boleslao Svidrigelloni germano suo (ut dictum L. II. p. 171. L. III p. 367.) commisit, ut inquietum hominis animum definiret, Fama certa de fatis Vitoldi in Podoliam ubi ad hunc Paulum Præsulem pervenisset, eam detulit nonnullis Polonis, præcipuis Podoliæ incolis, qui dum Camenecum convenissent, initô cum Antistite consiliô, Davgerdô Palatinô Vilnensi, qui castro Camenecensi præerat, interceptô, & Lithvanis ejectis Camenecum aliasq; munitiones Podoliæ pro re Poloniæ occuparunt. Ad nuncium interceptæ Urbis & Provinciæ in furorem actus Svidrigello Jagellonem, qui tum degebat in Li-

Lithvania, & cum suis Polonis jam parabat abitum, sub custodia detinuit, pejora minatus, ni Podoliam cum Cameneco sibi redderet. Ladislaus solâ aulicâ familiâ numerosus ut ferociam Fratris eluderet, pœnas læsæ majestatis in aliud tempus reservans ad Michaëlem Buczaccium, qui ab incolis Podoliensibus Cameneco erat præpositus, per aulicum dedit litteras, quibûs imperabat, ut Michaeli Baba Lithvano, quem eo fine Svidrigello expedivit, Camenecum cum Podolia pro re Svidrigellonis restitueret. *Dlugossius L. XI.*

Aderant expeditioni Andreas Tęczynski & Nicolaus Drzewicki, apud quos cura erat sigilli Regii. Hi ut Provinciam & Urbem juris ante hac Poloni conservarent, alteras ad Buczaccium litteras scripsere: illis deferebant progressum Ladislai Regis de Cameneco tradendo minis & furore Svidrigellonis obtentum esse: easq; quo res esset occultior, cereo inclusas puero aulici eunctis ære corrupto consignârunt, ut illas Buczaccio vel Civibus Camenecensibus redderet, his adjectis: si errare nollent, in cereo lumen quærerent. Fecit omnia famulus, quæ in mandatis acceperat. Buczaccius cereum nactus, & ambigua imperia, quid sibi vellent? miratus, ubi tractâ cerâ litteras reperit, rem edoctus Babam Lithvanum cum Regio aulico ad carceres damnavit; urbi verò & Provinciæ contra quemvis Svidrigellonis insultum providit. Interea ad vindicandum Regem lectæ per Poloniam copiæ, quarum procinctu territus Svidrigello Jagellonem dimisit. *Idem ibidem sub anno 1430.*

Paulus suorum Polonorum mitius regimen in Podolia expertus, Diæcesim lustravit sæpius, ac optimis circumscripsit legibûs. Inter Ladislaum Jagellonis Filium Poloniæ Regem & Ordines Poloniæ ac Paulum de Rusdorff Magistrum totumq; Crucigerorum Ordinem pacem sancitam Brestæ in Cujavia 1436 Sabbatho in Vigilia Circumcisionis Domini cum aliis Senatoribus subscripsit. Plurium annorum & meritorum Præsul obiit XVIII, Martii 1453. Cameneci sepultus.

VIII.

NICOLAUS I. ŁABUNSKI

De Stemmate Zagłoba

Solea est erecta framea per medium transfossa.

QUòd hic Nicolaus Ecclesiam Camenecensem rexerit, & Paulo successerit, scribit *Dlugossius L. XIII* Obiit peste Czarnokozieniciis 1467. die XIII. Octobris, in Ecclesia Camenecensi sepulturam nactus.

IX.

NICOLAUS II. GOŁĄBEK

De Stemmate Gryphium

PRæter Długossium superiùs citatum, hunc successisse Nicolao in Episcopatu Camenecensi scribit *Cromerus L. XXVIII. Bielski fol. 445. Nakielski in Miechovia fol: 39.* superaddit fuisse nonum in ordine Episcopum Camenecensem. Breve admodum erat illius regimen; cùm ad Diæcesim pergeret, in itinere à latronibus occisus occubuit 1469.

X.

NICOLAUS III. PROCHNICKI

De Stemmate Korczak vide p. 145.

LAdislaum Casimiri Regis Filium Regem Bohemiæ electum Pragam solenni comitatu deduxit. Ambiebat Archiepiscopatum Leopoliensem ab obitu Sanocei vacantem, eoq; fine venit Petricoviam ad conventum generalem Ordinum Poloniæ 1479. sed brevi ibidem mortuus, Vitoviæ XXII. Junii apud Canonicos Præmonstratenses honorem sæpulturæ nactus: cui Mathias de Łomza à Casimiro Rege Successor datus est. *Długossius Lib. XIII.*

XI.

MATHIAS II. de ŁOMZA

AD Chełmensem Sedem promotus. *Vide pag: 123.*

XII.

JOANNES I. PROCHNICKI

De Stemmate Korczak vide p: 145.

ILlius meminit Skrobiszevius in Vitis Archiepiscoporum Leopoliensium. Juxta seriem Episcoporum à Niesieccio Tomo I. editam, supremum diem obiit 1493

XIII.

PETRUS I.

Do Stemmate Powała

Idem est cum stemmate Ogonczyk vide p. 28.

IN litteris Joannis Alberti Regis Poloniæ Civitatibus Cracoviensi & Sandomiriensi datis 1493. habetur Petrus Nominatus Episcopus Camenecensis ut annotat *Niesiecki Tom I. Okolski in Russia Florida* scribit illum fuisse de Ordine D. Dominici, & dum rediret Româ, quo in negotiis suæ Ecclesiæ excurrerat, in itinere diem ultimum obiisse anno 1302. forte 1502. annus exprimi debuerat; annò enim 1302. juxta eundem Okolscium nondum instituta erat Camenecensis Sedes. *Vide pag: 162.*

XIV.

JACOBUS BUCZACKI

AD Chełmensem Ecclesiam translatus, demum ad Plocensem. *Vide L. III. p. 252.*

XV.

LAURENTIUS I. MIEDZYLESKI

De Stemmate Jastrzembiec vide p. 17.

LItteras Sigismundi I. Leopoliensi Civitati datas 1526 quòd subscripserit, asserit. *Niesiecki Tomo I.*

XVI.

PETRUS II. GAMRAT

NOn unius Episcopatûs Præsul obiit in Gnesnensi Sede *Vide L. I. p. 115.*

XVII.

SEBASTIANUS BRANICKI

AD Chełmensem Episcopatum tandem ad Posnaniensem promotus. *Vide L. II. p. 131.*

XVIII.

JOANNES II. WILAMOWSKI.

De Stemmate Szaszor seu Orla

Aquila est expansis alis in campo coloris albi absq; vertice, cujus loco stellam sex radiorum habet.

PRæcipui favores Sigismundi I. gradus erant huic Joanni ad Camenecensem Tiaram progressurus erat ultra, nisi mors obstitisset. Eos Principis affectus suis obsequiis meruit abunde; ad Ferdinandum Cæsarem pro Elisabetha Sigismundo Augusto desponsanda ivit Legatus, eamq; Principi Regio impetravit. In negotiis Hungariæ ad eundem Cæsarem expeditus multa egit, ut votis Sigismundi responderet. Ivit & Romam Summo Pontifici supplex Regis & totius Regni nomine, ut hic ad opprimendas hæreses Concilium designaret. (e) Longiori ætate dignus, cùm post fata Joannis à nonnul-

(e) Bielski Lib: V.

nullis Hungaris electi, a Sigismundo iterum in Hungariam disponeretur, 1540. ultimum diem obiit.

XIX.

NICOLAUS IV. DZIERZGOWSKI

AD Chełmensem promotus Sedem obiit in Gnesnensi. *Vide L. I. 119.*

XX.

ANDREAS II. ZEBRZYDOWSKI

IN Cracoviensi Episcopatu obiit. *Vide L. I. pag. 328:*

XXI.

JOANNES III DROHOIOWSKI

AD Chełmensem demum ad Vladislaviensem Ecclesiam translatus est. *Vide L. II. p. 58.*

XXII.

BENEDICTUS IZBIENSKI

ROma disponente Posnaniensis Antistes *Vide L. II. pag: 132.*

XXIII.

LEONARDUS SŁONCZEWSKI

De Stemmate Kosciesza

In campo coloris rubri sagitta est divisa, acie erecta, in medio crucis signum referens.

HUnc dispersæ per Parentem facultates in tenui forte collocarunt. Vissogrodiæ Matre ejusdem loci natus (unde etiam Leonardus de Vissogrodia dicebatur) indolem sola nobilitate insignem, sed ad omnia aptam rudioribûs litteris expolitam ut cultiorem redderet, ad Academiam Cracoviensem perrexit: ubi in arte litteraria eminuit, & post aliquot laureas Institutum Canoni-

nonicorum Regularium SS. Sepulchri professus, ac Sacræ Theologiæ Doctor creatus, Cracoviæ Canonicis sui Ordinis præesse, & primus ex Religiosis in Principe hujus Urbis Ecclesia à sacris exedris perorare meruit. *Vide L. 1. p. 117.* Sermonis pondere & facundiâ Regem Senatum Urbem amplissimam traxit in admirationem & amorem sui, Evocabatur ad generalem Ordinis sui præfecturam, favori eligentium egit gratias, ut sacri præconis officio & audientium postulato satisfaceret.

Ad varias postmodum ab ipso Rege promovebatur Ecclesias, sed nullius admisit regimen. Tandem urgente Rege, Paulo III. imperante Camenecensem suscipere coactus est. Ubi Diæcesim adiit, plurima templa, & xenodochia erexit, multa, non exiguis sumptibûs refecit, communi voce *Pater egenorum* dictus. Virum hunc quanti fecerit Sigismundus? inde liquet; cùm enim Sieniavius ad tradendam Valachiam Petro futuro Palatino à Rege missus pergeret, hunc Leonardum comitem designavit, qui formam fidelitatis jurejurando confirmandæ Petro præscriberet. De tota Diæcesi Præsul, de Republica Senator optimè meritus anno 1563. humanis exemptus est.

XXIV.

DIONISIUS SECYGNIOWSKI

De Stemmate Jelita vide p. 10.

VIrtute & eruditione, qua excelluit, prodromâ, hanc dignitatem adiit, & rectè factis ac studiô Præsuleo commendatam fecit. Obiit 1569. Quòd non Michaëli Dziaƚynski (ut vult Naramowski) sed Leonardo successerit, testis est Nakielski in sua Miechovia: præterea cùm Ducatus Osviecimensis & Zatoriensis Regno Poloniæ 1564. adjungeretur, hujus Dionisii nominati Camenensis Episcopi Coustitutio ejusdem anni, uti præsentis meminit. Porro Dziaƚynski rexit hanc Diæcesim,

sim, sed longè posteriori tempore, ut suô locô dicetur.

XXV.

MARTINUS BIAŁOBRZESKI

De Familia Abdankorum.

JOanne & Anna Janikowska genitus. Prima litterarum rudimenta in Academia Cracoviensi posuit, severiores ibidem tractavit scientias, Vir sua ætate apprimè doctus à Vitellio Zoravio & Starowolscio dilaudatus. Inclaruit multis libris in lucem editis, quibûs vindicavit Religionem Catholicam illis temporibûs à variis hæreticis oppressam. Edidit explicationem Evangelii pro Dominicis & Festis, quam Synodus Diæcesana Vladislaviensis suarum paræciarum Rectoribus ad usum præscripsit. Eruditione sua gravis erat illius tempestatis hæreticis, quare eorum lingvas & calamos in se acuit; sed illorum odium incurrisse contempsit strenuus ubiq; Religionis defensor. Nec scriptis duntaxat illorum errores insectari satis habuit, ore Ecclesiastes in illos detonuit, à quo dicendi munere non eum impedivit Senatoria & Episcopalis dignitas. Valuit plurimum hac sermonis virtute non tantum ut sacrorum Antistes, sed ut Regni Senator in publicis Reipublicæ congressibus, & privatis consiliis. Hæc illum variis legationibus præposuit, quas felici eventu Martinus coronavit. Abbas claræ tumbæ & Suffraganeus Cracoviensis, demum Camenecensis Præsul.

A Stephano Bathoreo ob elegantiam Latini sermonis & in agendo dexteritatem plurimum adamatus, à quo in Transylvaniam missus, nomine illius in funere Christophori Bathorei Transylvaniæ Palatini, germani Stephani, Fraterni doloris testimonium deposuit Orator lugubris. Hujus Christophori Filiam Grisseldam ducebat in vitæ sociam Joannes Zamoyski, Vir suo ævo celeberrimus; inter Neosponsos matrimonium

ac

ut Martinus benediceret, Rex Patruus voluit. Apparatus hic nuptiarum anno 1583. die XII. Junii magnâ pompâ & ad majestatem Regiam celebratus est: quem descripsit Gvagninus. Plenus meritorum pro Patria & Religione Martinus obiit anno à partu Virginis 1586.

XXVI.

LAURENTIUS II. GOSLICKI

AD Chełmensem Sedem evectus obiit in Posnaniensi *Vide L. II. pag. 142.*

XXVII.

STANISLAUS GOMOLINSKI

IN Chełmensi Diœcesi successit Gosliccio obiit in Luceoriensi *Vide L. III. p. 372.*

XXVIII.

PAULUS II. WOŁUCKI

AD Luceoriensem Ecclesiam demum ad Vladislaviensem promotus *Vide L. II. p. 75.*

XXIX.

JOANNES IV. PROCHNICKI

AD Leopoliensem Metropolim evectus *Vide Lib. I. p. 229.* Huic Mathiam Łubienski successisse scribit. *Niesiecki Tomo I.* sed scriptor vitæ hujus Mathiæ *Florianus Baydecki Ord. Canonicorum SS. Sepulchri C. XIII.* ex solo Præposito Miechoviensi Episcopum Chełmensem fuisse nominatum asserit: adducitq; hanc illius nominationem capite prædicto. *Vide L. I. p. 165.*

XXX.

ADAMUS I. NOWODWORSKI

AD Premisliensem Ecclesiam translatus, obiit in Posnaniensi. *Vide L. II. p. 149.* Ejus temporibûs quia

quia victoria Chotimensis Polonorum de Osmanno Turcarum Imperatore contigit, non abs re existimo, si ejus circumstantias breviter attingam, quas uberius Vassembergius & Kobierzycki descripsit.

Camenecum habet vicinum Chotimum, arcem sitam trans Tyram, variis Polonorum victoriis, præcipue de Osmanno Turcarum Imperatore, Sigismundo III. Poloniam moderante 1621. celebrem, cujus memoriam Polona Ecclesia X. Octobris festam habet cum Officio Divino sub ritu duplici majori. Belli hujus occasio Valachia, Regio primum libera, postmodum plurimorum serva.

Stephano loci Palatino defuncto superstites duo fuère Filii Stephanus & Petrus: primo jus primogenituræ, alteri turbido adolescenti vulgi favor imperium promittebat. Ille ut ditione jure naturæ sibi debita potiretur, Casimiro Poloniæ Regi vectigalem Valachiam promisit, cujus operâ ad Paternum fastigium evasit. Alter post obitum Casimiri omnia tumultu populari miscebat, & occasionem Turcis Bulgariam Serviam occupandi præbuit. Exterriti vicinô periculô Valachi in clientelam Polonorum rursus concessère; sed ad veteres de successione turbas revoluti alterâ Provinciæ parte, Valachia propriè dicta à Turcis mutilati sunt. Successu demum temporis reliqua Provincia ad Turcas conversa est. Hinc antiqua Polonos inter & Turcas de Valachia quæstio, illis eam legitimè jure dominii repetentibus, his ferrò partam armis defendentibus, & ad majorem securitatem pro suo arbitrio Principes, & ut vocantur, Vaivodas Christianos tamen præficientibus. Tandem Gratianus recipiendæ ex voto Valachiæ spem Polonis refricuit.

Gratianus Gaspar Græcii natus in Styria, mercibus distrahendis primam dabat operam: eoq, fine Constantinopolim aliasq; Provincias ipsamq; Italiam lustrabat sæpius. Et quia à natura ad calliditatem omnem erat com-

compositus, ut futuræ sortis jecisset fundamenta, aditum sibi largitionibus fecit ad aulam Turcicam, ubi auro nihil non pervium est. Adverterat Liburni ad triremes damnatos Turcas intolerabili labore vexari, occasionem bene merendi nactus, octoginta præcipuos Constantinopoli oriundos, proprio ære redemptos, in Patriam revexit, eorum commoditati in via intentus. Obstupuit Constantinopolis ad factum Christiani, illud ipsum ad Achmetem Cæsarem devenit, qui virum sibi & genti suæ fidum existimans, Ducatu Naxiæ & Bissacensi auxit, deinde post obitam perfectamq; ex voto ad Mathiam Imperatorem legationem Valachiæ præposuit. In eo culmine potentiæ constitutus Gratianus, mobilem Turcarum fidem in aliis expertus, ut in casum vires Machometanis opponeret, ad Polonos, veteres olim Valachiæ Dominos, mentem adjecit, eoq; fine nobiliores incolas, & per illos Valachiam prope universam in suas partes traxit.

Arcanis primùm litteris, eò in negotio animum & conatum suum aperuit Zolkievio, Regni Cancellario, & Supremo armorum Duci. Secretum tamen diu teneri non potuit; ex commeantibus in Poloniam, tabellariis res novas Gratianum cum Polonis agitare subodorati Turcæ, sive honoris specie, sive actionum Gratiani censores, in aula ejus commorantes, Osmanno Achmetis Filio, qui Mustaphæ trium mensium Imperatori stolido successerat in Imperio (*f*) conspirationem factam deferunt. Ad rei nuncium excanduit ferox adolescens, quare ut vindictam maturaret, ire jubet Skinder Bassam, qui Gratianum vinculis adstrictum Constantinopolim transmitteret, & bellum Polonis inferret. Ferali aulæ Othomanicæ mandato perculsus Valachiæ Princeps, dum Skinder Bassa copias colligit, continuo incitandis vocandisq; in Valachiam Polonis instabat: & quo propior periculo erat, eò acriùs ardentiusq; urgebat

(*f*) *Schwien in Imperat: Turcicis Tom: I.*

bat Zolkievium, hortando; ne occasioni deesset.

Zolkievius Dux veteranus, & multo rerum usu exercitatus, legerat audiveratq; à majoribus nusquam prospere cessisse Polonis usurpationem Valachiæ: reputabat auxilia, quæ offerebat Gratianus, sed noverat mobilem gentis genium, quæ æquè cito ad dandam & mutandam fidem prompta & parata esset; quare ne temere procederet, ac molem belli cum hoste potentissimo inscia Republica in Poloniam devolveret, totum negotium Regi Sigismundo detulit. In consilio Regio plerisq; visum est: sua potius defendenda, quàm aliena cum exili exercitu invadenda. Interea ex multorũ sententia datæ ad Zolkievium Regis litteræ: maturaret iter in Valachiam, remq; suo arbitratu ageret.

Accepto Regis imperio Zolkievius militem cum suis Ductoribus ac Tribunis Tyram versus ire jussit: ipse verò domo disposita epistolam scripsit Sigismundo, qua luculenter officii sui, tum belli gerendi rationes cùm exposuisset, Regi ac si fati præscius valedixit, Filiumq; suum Joannem Rubieszoviensem Præfectum, si superstitem fata permitterent, ejus favori insinuavit. Brevi Filio, ac Luca ex sorore nepote comitatus cohortes Dux insecutus Tyram trajecit. Numerum copiarum sex millia militum, aut paulo amplius explevêre, quibûs Valachiam aggressus, contra numerosum hostis exercitum dimicavit.

Adventu in Valachiam Zolkievii, cùm ejus copias rumor auxisset, lætus Gratianus, Turcas, qui Jassium in prima urbe Provinciæ, & sede Principum domiciliûm fixerant, aut Gratiani lateri gestorum custodes ac censores adhæserant, aut recens clam ad capiendum & sistendum Constantinopoli venerant, trucidavit. Sed detectô à tempore & exploratoribus Polonorum numerô nutare Valachi, nec comparere, deinde paulatim se subducere, & consilia ab eventu metiri decreverunt.

Gratianus ipse fugam magis quam bellum in animo conclusit. Verùm a Zołkievio gravioribûs litteris compellatus, & nisi ex pacto copias conjungeret, urbium excidiô & sui exitiô perterritus, ægre sexcentis suorum comitatus ad castra venit, lætitiam gratulationemq; simulans. Zołkievius ne artes dolosq; intelligere videretur, venientem benigne accepit, & intimiùs mentem hominis scrutatus, de numero, viribus hostium sermonem instituit. Is nihil serii cùm afferret, & cauta ac impenetrabili simulatione numerum copiarum premeret, ex ambiguis responsis facile perspexit Dux Poloniæ suspectam Viri fidem.

Svadebant Polonorum aliqui Techiniam versus & Belgradum movendum exercitum, ad distinendum Skinder Bassam, metumq; Tartaris inferendum. Id haud Dux probabat, qui retinendæ potius Valachiæ, cujus causâ accersitus erat; insistendum ratus, Cecoram oppidum versus promovit castra. Interea quantis viribûs adversus constaret exercitus, hucusq; nihil explorati habuit. Gratianus paulo minorem asserebat, sed eo tempore à Tartaro captivo cognitum est centum millia armatorum in hostium numerari castris. Minime territum probatum Ducem ea multitudo plurimo usu edoctum: non numerô sed virtute bella geri. Et certe in summis angustiis sæpe positus, prudens & ad omnia circumspectus belli Imperator, adversum impetum magna hostium strage fortis sustinuit: deq; centum millibus sub Skinder Bassa, Dalet Gereo, Galga Hani Scytharum Reguli Fratre, ac Cantimiro, Ducibus victor evasisset, nisi seditio in castris exorta, timor plurimorum, ac fuga necem tanti Ducis, ac cladem Poloniæ maturâsset.

Magna parte castrorum diminutus Zołkievius cùm undiq; ab hostili exercitu cinctus esset, & res desperatas cerneret, ne vivus in manus hostium veniret, mori elegit, ut saltem eatenus de hoste triumpharet, quatenus ludibrio vivens eximeretur. Equum Duci offerebat centurio, ut se fortunatiori servâsset Patriæ, sed commilitonem asperioribûs verbis, equum levi ictu ferri repulit: tum coram Simone Vibiercio S. J., sibi perfamiliari Theologo, & ad extremum comite, cùm animæ noxas pænitens deposuisset, in densissimos Turcarum cuneos acinace invectus, amissa dexterâ, ignorantiâ nocturnâ oppressus pro Patria gloriosa victima occubuit: eodem fato multis vulneribûs saucius interiit Hermannus Donhoff Tribunus. Vir à natalibus & rebus gestis insignis. Stanislaus Koniecpolski minor Castrorum Imperator, Samuel Koreccius, Joannes & Lucas, ille Filius, hic ex sorore nepos Zołkievii, aliiq; non pauci in vincula abiêre.

Exorto sole inter cæsos indiciô unius captivi repertum Zołkievii cadaver: præcisum mox caput, delatumq; ad Skinder Bassam, ac ante tentorium conto præfixum tota die præbuit cunctis spectaculum transmissum postea Constantinopolim, maximæ populosissimæq; urbis oculos in se convertit. Conquisitum cognitumq; corporis truncum excepit mærens Herburtea, Zołkievii uxor, tum quæsitũ redemptũq; Constantinopoli caput in Templo urbeq; quàm vivens nomini suo condiderat, honorificæ sepulturæ tradidit. Gratianus quoq; belli & cladis occasio nece sua præcessit Zołkievium, fugâ vitæ suæ consuluerat, sed à Valachis intercepti, & trucidati caput feralî spectaculô pavit oculos Alexandri in Principatu Valachiæ Successoris ab Osmanno designati.

Ad cladis nuncium tota contremuit Polonia. Sigismundus Rex convocatis propere Comitiis Joannem Carolum Chodkievicium Livonicis, Moschoviticis, Sveticis victoriis clarum, supremum exercituum Lithvaniæ Ducem, in locum Zołkievii substituit; Poloniæ vero armorum generalem Præfectum, nominavit Stanislaum Lubomirscium: Sexaginta millia, quibûs bel-

bellum contra Turcas gereretur, decreta præter Cosacos, quorum quadraginta millia censeri poterant. Cæterum ut scribit *Kobierzycki L. IX.* Polonorum erant ad Chotimum 34987. Cosacorum 30000. quibus aliquot millia accesserunt, quæ Procerum erga Patriam amor ære proprio conduxit, numerumq; omnem 70000. adimplerunt.

Dum hæc geruntur in Polonia, in Turcia quoq; minime feriatum. Victoriâ nuper ad Cecoram partâ insolens Osmannus spe devorabat Poloniam, quare nihil, nisi bellum illi inferendum, seria mente volvebat. Ferocem adolescentis animum augebant applaudentes libidinum ministri: iis aliter sentientibus, quos usus & rerum prudentia maturiori præposuit consilio. Contempta sacrorum Præsidis (Muffty Turcæ vocant) expeditionem dissvadentis, voceq; acerba læsa authoritas non detinuêre furentem charæ pellicis tristia de se, ac si cruore manantem vidisset, enarrata somnia: tantus deniq; erat ardor concupiti semel belli, ut & Mustaphâ, Virum Principem, libetiùs præcipites conatus arguentem cultrô, quem pendulum gestabat, petierit. Solus Skinder Bassa juvenem cautô consiliô detinere volebat: pluribûs quippe expertus præliis, maxime nolebat: virtutem licet in exiguo bellatorum numero infractam invictamq; proinde vitabat arenam, in qua sibi cùm universis Regni viribus decertandum foret. Sed cùm hic brevi post cladem Zolkievii à Dalet Gereo Galga Tartarorum Duce Constantinopoli in contentione de captivis exorta interfectus obiisset, nemo arma conclamantem Osmannum cohibere potuit; quare ad debellandam Poloniam totum vastissimi Imperii sui movit robur.

Per Asiam, Africam, Europam lectus exercitus: Ægyptus, Arabia, Syria, Pontus, Natolia universa, Græcia, Macedonia Thracia arma, militem, apparatum expediebant: in societatem belli vocabatur Dziambet Gereus

reus Magnus Tartarorum Chanus: deniq; quidquid toto imperio virium, quidquid Janizerorum & Mamaluchorum, quidquid alibi erat roboris, comparebat, adeò ut famæ si credas (scribit Vassembergius) ad septies centena millia hominum Constantinopolim miles confluxerit (a) ut de tanta potentia magis gloriosa Polonorum foret victoria. Aderant ad magnificentiam & terrorem peregrinæ belluæ, elephantes, camelorum & jumentorum innumerabilis multitudo. Tantis copiis armatus Osmannus, ut præoccuparet Danubium, agglomeratis passibûs in Valachiam movebat.

Advenientis ipsiusOsmanni fama cùm totam pervaderet Poloniam, Ladislaus Princeps Regius, non ita pridem in Magnum Moschoviæ Ducem electus, instabat vehementius apud Sigismundum Patrem, ut contra Imperatorem adolescentem magis ferociâ quam virtute superbum pergeret: exorabat Proceres, ut ejus renovarent postulata, & expeditionem plenam gloriæ impetrarent. Dolebat equidem Sigismundus Filium tam prævalido hosti opponendum, animô tamen lætô æstimabat indolem ad quævis pericula paratam, ac bellicæ gloriæ avidam. Quare ut à juventute bellicis in commodis assvesceret, majora suo tempore subiturus, ejus precibûs, & Procerum postulatis exoratus, votis Ladislai annuit. Lætus eâ Patris voluntate Princeps, die profectionis suæ indicta, legiones expeditionem maturare jussit.

Priusquam autem Varsaviâ egrederetur, templum adiit supremum veneraturus Numen, postq; solenne sacrificium a Francisco Diotalevio Nuncio Apostolico celebratum ad aram supplex accessit: ubi Nuncius Prætoriæ cohortis vexillum cum inscriptione PRO GLO-

M 3 RIA

(a) *Kobierzycki Turcarum 300000. Tartarum 100000. Schmitt in Imperatoribus Ottomanis præter Tartarorum manum, Turcarum 400000. in armis contra Poloniam stetisse scribunt.*

RIA CRUCIS, fausta quæquæ à Deo exercituum armis precatus, Regio juveni in manus tradidit. Quotquot aderant, non tenuere lachrymas, quas lætitia mei tui de successu expeditionis conjuncta cunctis abunde expresserat. Flevit Rex, quòd Filium, flevit Senatus; flevit populus, quòd Principem, suum olim futurum Regem incertæ belli aleæ committeret. Inter Parentis & Procerum oscula permisit casum lachrymis & Ladislaus, quas non metus, sed tenerior Patris & Patriæ amor elicuit.

Lubomirscius promptioribûs copiis assumptis jam Tyram fluvium præoccupaverat, & transitum Polonis per utramq; fluminis partem, si quid hostis molire tur, firmaverat. Chodkievicius quoq; post finitas cum Anna Aloysia Ostrogiensi Duce nuptias, non ultra cunctandum ratus, cum octo millibus itineri se accinxit. Interim ab Alexandro Principe Valachiæ & Ussaim Bassa instinctu Osmanni Vevelius origine Italus, natione Cretensis, Christianis quidem imbutus sacris, sed mentis perversæ & ad omnem astutiam Vir compositus, qui fidem suam Turcis obstrinxerat, expeditus cum litteris, quibus pacem svadebat, invitabatq; suâ operâ ad concordiam, si Poloni non abnuerent, resarciendam instaurandamq;. Revera autem intendebat Osmannus, ut pactorum spes proposita Polonos ad bellum promptos, vel segniores & incautos redderet, vel metu, vel, ut putabat, multitudine territos, ad eas, quas ipse proponeret, pacis conditiones inflecteret. Extra castra in vicino rure excepit legationem Lubomirscius, & lautè habitum Vevelium ad adventum supremi Ducis Chodkievicii detinuit sub specie honoris arctiori circumseptum custodiâ.

Et brevi supervenit Chodkievicius suasq: copias cum Lubomirio conjunxit: accersitus Vevelius cominterq; à Duce acceptus eò cum responso dimissus: Sciret Alexander Ussaimusq; se ut ad arma promptum, ita nec

nec à pace honesta & æqua alienum esse. Additus Vevelio Schembergius, vir sagacis expeditiq; ingenii, ac barbarorum moris non ignarus, qui ad Vezirium Chodkievicii ferret litteras, ad pacem invitantes, & publico quidem nomine ageret Legatum, clam verò vires, animos, consilia hostium exploraret.

Exercitum deinde, brevi quiete corpori ex itinere permissa, lustravit, necessariaq; bello providit. Quia verò ad summam rei non parum expedire judicabat Cosacorum cum suo exercitu conjunctionem, eos continuis nunciis e suis sedibus evocare non destitit. Venturos se illi promittebant, sed ut trans Tyram copias universas Dux transferret, & appromitteret pacem cum Turcis non aliter inituram Rempublicam, nisi iisdem pactis & illi comprehenderentur. Alterum fide obligata spopondit, alterum opere statim adimplevit.

Decimo septimo Calendas Septembris in alteram Tyræ ripam ad Chotimum cum legionibus processit, & castra, ut peritissimum rei militaris Ducem oportuit, metatus est. Latus sinistrum ad Tyram Chodkievicius, dextrum Lubomirscius occupavit, media sedes Principi Ladislao relicta. In altera fluminis ripa ad caput pontis impositum præsidium, quo securior advenientibus copiis, expeditiorq; aditus pateret.

Cosaci quoq; cum Duce suo Konaszevicio, quem amotô Brodawka, homine ignavo ac temulentô, denuo regimini suo præposuère, maturabant iter. Eorum conjunctionem cum Polonis omni conatu impediebant Turcæ: velitationibûs continuis, magnarumq; virium impetu euntium infestabant latera, magnâ semper suorum strage rejecti. Contigit quadringentos, sive, ut alii scribunt, centum triginta Cosacos cupidine prædæ, seu quod verius est, viarū errore abreptos avelli ab exercitu. Ad opprimendum hunc exilem manipulum undiq; concurritur, pugnatur acriter à Turcis, sed nullo fructu, eum insultum fortissimè Cosacis sustinentibûs, etiam

 bene-

beneficiô loci, ad quem confugerant, munitis. Majores advocantur copiæ, Cæsar ipse cum exercitu properat, quasi in expugnatione tam exigui numeri integra ejus fortuna verteretur: locum cingit, excidiumq; interminatus deditionem urget. Recusantibûs Cosacis aggressionem imperat, vivosq; capere conatur: at hi in mortem firmati, non inulti erumpunt: vim repellunt, cædunt, promptissimum quemq; hostium obtruncant, vexilla rapiunt, ad extremum, attonitum nutantemq; hostem submovent. Osmannus ignominiâ præceps, cùm nulla spes Cosacos illos capiendi esset, eos admotis tormentis disjicere imperat, quorum jam plerosq; ad proximos montium specus profugos obturatis recessibûs igne fumoq; enecare mandaverat. Eam quoq; vim qui supererant, usq; ad noctem invictô animô sustinuere: tandem cùm evadendi etiam noctis beneficiô nulla pateret via, post edita in re desperata peculiaris fortitudinis exempla in manus hostium venere. Adducti ad Osmannum eorum videndi avidum, admirationem primùm, demum iram moverunt; indignatus quippe à tam vili manu Ottomanicæ potentiæ inferri opprobrium, suiq; oblitus, acinace, quem ad latus habuit, aliquos interfecit, cæteros arboribus alligatos vario mortis genere excruciandos jussit. Reliquas postmodum Cosacorum cohortes sequi statuit, non exiguum futuræ suæ victoriæ momentum ratus, si eas aut deleret, aut in conjunctione cum castris Polonis impediret. Verùm Cosaci agmine composito impendentibûs ubiq; Turcis inter assiduos conflictus ad Polona evasere castra, ad quorum dextram ea parte, qua Tyras præterfluebat, stationem fixere.

Nec Osmannus retardavit, namq; quarto nonas Septembris in conspectum Polonorum venit, & trium eminentium montium juga, circumq; plana ac devexa, explicatis incredibili celeritate ad signum datum tentoriis occupavit quater, mille passibus à Polonorum e-

xerci-

xercitu. Vidisses urbes ædificiorum mole & numero insignes repente suscitatas. Eminebat in colle edito Osmanni tabernaculum, amplum & dives Ottomanæ magnificentiæ spectaculum. Nondum pleno ordine erant constituta castra, nondum munita, cum Osmannum incessit cupido videndi Polonas munitiones. Altissimam itaq; propere structam cum primoribus suis ascendit turrim, & per speculam paucitatem Polonorum, castrorum angustias contemplatus, in temeraria vota erupisse fertur: *Non gustaturum se panem, priusquam & castra expugnata, & Poloni ad internecionem deleti fuissent.* Probavit Principis sui mentem Ussaim Bassa, Præfectus Silistriæ & summam certaminis exposcens non rediturum se nisi victorem obligavit. Actum erat de Polonis, si ad eorum excidium votis Turcicis successus respondisset.

Cosacos primùm adoriri visum Turcis, quòd clausis nondum commissisq; propugnaculis, etiam itinere fessi faciliores ad opprimendum censerentur. Pugnæ initium sumptum à tormentis in eorum munitionem exoneratis: pertinax erat oppugnatio, sed magnâ Cosacorum fiduciâ, cùm frustra peterentur, excepta. Majorem addidit fiduciam ex Chodkievicii castris effusum militare vulgus; rati enim Cosaci suppetias sibi venire, in campum ex propugnaculis erumpentes in Turcas irruerunt. Clamore concursuq; insonuêre arma: & dum invalescente Turcarum numerô gradum ad sua munimenta retrahunt Cosaci, providus ad omnia Chodkievicius Lissovianas cohortes cum Rusinovio Ductore maturè submittit. Recruduit bellum fortioribûs hôc subsidiô Cosacis. Et ubi ipse Chodkievicius selectis hastatorum cohortibûs cinctus supervenit, exortum atrox prælium, magna Turcarum cæde. Turbatas Ussaim Bassa restituebat acies, animabat, urgebat ad pugnam dimicantium tamen Polonorum virtutem frangere non potuit. Brevi ipse glande trajectus occubuit, post cujus ne-

ne-

necem fugientes Turcæ ignominiosa suorum clade perfectam Cosacis & Chodkievicio reliquère victoriam, eò magis gloriosam quòd e Polonis quinquaginta cæsis, suis cadaveribûs campos repleverint, quorum spoliis Cosaci abunde ditati sunt.

Post hanc suorum inquam sortem in quem furorem exarsit ambitiosus Osmannus? temerarii in suis desideriis, eorum fructu frustrati, facile inferre possunt. Non tam prælium amissum, quàm temeræ promissiones, & plena spes victoriæ ejus torquebant animum. In Polonis verò castris post actas Deo Optimo solenni ritu gratias, varii erant sensus. Cum Duce Chodkievicio censebant multi, aperto marte quàm primùm cum hoste congrediendum. Alii concludebant, expectandû Ladislaum, aut Sigismundi Regis imperia. Et horum probata sententia.

Nec moram interposuit Ladislaus Princeps, brevi, ut ætatem, ætati, majestatem majestati. solidam virtutem, Osmanni insolenti audaciæ opponeret, Tyra trajecto cum suis copiis Polonis castris se adjunxit. Adventum Ladislai Duces exercitus congratulati, festis tormentorum in Turcica propugnacula explosionibûs testati sunt. Hanc communem lætitiam paulo interturbavit Ladislai ægritudo, ex diurno nocturnoq; itinere concepta, & àere Valachico irritata, nec minùs in valescebat ab animi impatientia, namq; se tunc lecto affigi querebatur, quo tempore vires corpusq; integrum rei gerendæ impendere cupiebat. Ab ejus tamen præsentia multum ut animi, sic fortitudinis accedebat militi.

Osmannus audito adventu Ladislai sequenti die aciem instruxit, ut si facultas claretur, concurrentibûs experiretur copiis. Non visum Principi Poloniæ & Ducibus ea die armis congredi; levibûs tantum velitationibûs impetum hostium eluserunt. Metui id Osmannus succensens die postera majore ferociâ castra Polonus oppugnavit, sed irrito conatu; & cùm à meridie totam

tam vim in Cosacorum munitiones exeruisset, nihil, nisi suorum cladem in lucro retulit. Ad hos Imperatoris Turcici infelices successus accessit annonæ penuria, contagiosa lues, quæ quotidie multa Turcarum millia absumebat, & proficiebat in pejus malum, quanto autumnus fiebat adultior. Quare de fastu remittens, suorum consiliô ad pacem inclinatus obtulit Polonis victoriam, vel ex eo magis celebrem, quòd cogi videretur. Itaq; Vevelius iterum cum litteris ad Ladislaum, Chodkievicium, Lubomirscium mittitur, qui pacem scriptô expetitam, etiam ore persvaderet. Nec eam ab horrebant Poloni, facileq; tum coáluisset, nisi ex adventu copiarum Osmanno insolens animus ad nova belli consilia recruduisset.

Caracassius Bassa recentibûs veteranorum viribûs ex Hungaria auxerat Osmanni castra, & quia peritissimus belli, & probatissimus, ut Dux, sic miles erat, tantos ex accessione illius Imperator collegit spiritus, ut plenus victoriæ, triumphum ageret; quasi eos jam debellasset, quos nunquam sine clade tentavit. Itaq; licet vota sua antea jure jurando firmata elusa expertus esset, iterum cum ipso Caracassio Bassa eadem innovavit etiam religione interposita, utq; pugnæ, & quasi fortunati eventûs spectator esset, in editiorem locum ascendit.

Caracassius ordinato, ut optimum Ducem decuit, exercitu, in Polonos gemino impetu, ad Lubomirscianâ portam & Veiheri Donhoffiiq; statione ferebatur, sed ab utraq; magna clade repulsus est. Verùm cùm ex Hungaro transfuga extenuata crebris irruptionibûs Mosinii stativa intellexisset, ea perrumpere conabatur. Cæterum opportunè in eum locum copias providerat Ladislaus & Chodkievicius. Itaq; & hic Caracassius non absq; suorum cæde rejectus, denuo in Veiheri & Donhoffii cohortes vertitur, additq; oppugnationi dolum. quodam enim stratagemate recedebat, & se insequentes

tes à lateribus, à tergo concludebat. Et fucceffiffet fortaffis aftus hic, nifi illum virtus Lubomirfcii retudiffet. Cùm enim Veiheri Donhoffiiq; copiæ in dolofe fugientes invectæ longiùs proceffiffent, Turcæ flexis ad prælium equis omni ex parte Polonis incumbebant: Advertit fuorum periculum Lubomirfcius, quare circum actis nonnullis cohortibûs, barbaros à tergo invafit. Acerrimum tum exortum prælium, præcipue novum robur fæpius Ladislao fubmittente. Caracaffius cùm fuos ad conflictum urget, & quo magis nofceretur, detractô capitis tegumentô ftrictô ferrô præcurrit, ac in volitantium globorum procellam intrepidus fe fe infert, patefacta vulneri fimulq; morti fronte, glande trajectus occubuit. Vaffembergius à Lubomirfcio cæfum fcribit. Senfit illico utraq; acies fatum Viri; & quantum de fervore remittebant Turcæ, tantum proficiebant Poloni, adeò, ut trucidando feffi non exiguam tenebrarum partem cædi hoftium immolaverint. Victoria hæc non adeò cruenta Polonis fuit, quo verò Turcarum cæforum numerô conftiterit? fubticuit Kobierzycki, Vaffembergius refert ultra quatuordecem millia interempta.]

Bellum amiffum doluit equidem Ofmannus, fed fuper cæde Caracaffii. Viri fua ætate ab ufu rerum & arte bellica commendati ingemuit. Magna comploratione exceptum cadaver, & cooperto impofitum curru, albis quadrigis avectum eft. His Ofmanni malis acceffit aliud ex induftria Cofacorum. Premebantur illi fæpius magno impetu Ofmanni juffû, ut ignominiam, quâ commilitones pauci potentiæ Ottomanicæ inufferant, fua clade expiarent. Sed Cofaci ut fuorum necem barbaram & frequentes infultus ulcifcerentur, in ipfis caftris Turcas ad cædem quæfivere. Eorum munitiones noctis beneficiô invadere pridem ftatuerant, jamq; expeditionem vice quadam maturabant, verùm cælô pluviô impediti, hanc caftrorum aggreffionem in aliud tem-

tempus differre debuerunt. Quod itaq: dudum parabant, id poft cruentam cum Caracaffio pugnam, probante Ladislao executi funt.

Noctu divifis copiis, unam medietatem adverfus Turcas vigiles conftituunt, alterâ per obfervata Tyræ vada pubetenus immerfi, nemine fentiente in ipfa Turcarum propugnacula penetrant, ibiq; fuccifis tentoriorum funibûs, fomno fepultos fuffocant, alios ingeftis in ora veftibûs enecant. Cædes hæc aliquamdiu erat fine tumultu, donec fufpectô periculô, Turcis arma parantibus, Cofaci qui per caftra graffabantur, adversùs vigiles, extra parat s fignum dedere, quo, tum clamore & ferrô exciti Mahometani, ipfimet in fe mutuo fævientes quærebant, quam ignorabant falutem: Cofacis interea onuftis fpoliô ad propria falvis redeuntibus. Idem poft biduum rurfus tentatum pari eventu: Taki Baffa pontis Turcici cuftode interfectô: aliis verò, aut ferrô aut aquâ, deletis.

Rerum per Cofacos geftarum ut lætus Ladislaus totufq; exercitus, fic anxius & folicitus de Chodkievicio fupremo belli adminiftro, qui morbô ex incommodis & aëris intemperie contractô, in dies valebat pejus: cùmq; malum ingravefcens manum fuperaret medicam, de periculo Ducis admonitus Senatorum Delegatorumq; confilium convocâvit. Cenfuere illi ambitum caftrorum propter militum malam valetudinem, & vires diminutas coarctandum, Regemq; de ftatu Chodkievicii ac belli præmonendum. Lubomirfcius, ad quem univerfi exercitûs fpectabat regimen, illudq, probatæ ejus virtuti Chodkievicius æger detulerat, Ladislao ipfo probante, & fuô exemplô Lithvanas cohortes Polono Duci obtemperare docente, munitiones opere celerrimo ea dexteritate conjunxit, ut hoftis à caftris coarctatis exercitum minorem æftimare nequiret.

Chodkievicius cum magis viribûs deficeret fuprema curaturus ad arcem Chotimenfem delatus, & Catho-

Catholico ritu ad mortem ſanctè obeundam probe inſtructus XXIV. Septembris 1621. ætatis ſuæ annô ſexageſimô, humanis exemptus eſt cum magno Ladislai, & omnium copiarum luctu, ac ſumma rerum perturbatione.

Fata tanti Viri caſtris contineri haud poterant, illorum fama apud Ottomanos increbuit, certiſq; nunciis ad Oſmannum delata eſt: qui morte Chodkievicii Polonos ad vincendum faciles exiſtimans extrema quæquæ tentare conſtituit. Itaq; quidquid virorum erat, & virium, in aciem produxit. Traxit & in alteramTyræ ripam Coſacis obverſam viginti quinque majora tormenta, additis circiter 30000. Tartarorum, ut ſi occaſio ſe offerret, in perturbatos, ut ſperabat, Coſacos trajectô fluviô à latere inveherentur. Nonaginta aliæ machinæ obverſæ caſtris. Tum verò ea rerum inchoata facies, ut ipſa elementa turbari viderentur.

Ubi pluſquam millenis ictibûs in munitiones detonuit Oſmannus, ad invadenda caſtra ſignum dedit. Itum ferociter, primumq; Veiheri Donhoffiiq; ſtatio acriter impugnata, ſed has egregiè munitas inſeſſaſq; à Germanis peditibus vario armorum genere inſtructis non ſine clade tentavere. In Liſſovienſes (b) demum patente acceſſu, per dirutas negligentius veteres Zaporovienſium Coſacorum foſſas verſa ferocia. In hos torrentis inſtar extremo conatu invecti, pulſi pellentes nullo cædentium metu ferebantur: pleriq, Janizerorum muniti ſcutis, quæ illos à ſclopetorum ictu contegerent, cæco ruebant impetu. Tam ferox hoſtium pertinacia admirationi, tandem timori erat Polonorum; metuebant enim ne hac in parte fractis Liſsovianis, & expugnatis propugnaculis in intima caſtrorum penetrarent Turcæ. Advertit periculum Lubomirius, quare decimo quoque ex omnibus cohortibus abſtractô, inſu-

(b) Sic vocabantur legiones à primo ſuo Duce Liſſovſcio Moſchis, Imperio, Orbi notæ.

inſuper è cuſtodia Ladislai lecta manu, laborantibus venit in ſuppetias, nuncupato inſuper voto Eccleſiæ Chriſto Salvatori erigendæ, ſi confectô feliciter bellô Victor ad propria rediiſſet: cui poſtmodum abunde ſatisfecit, Viſnicii ad majeſtatem Principum æde ſacra excitata, & PP. Carmelitis ſtrictioris obſervantiæ cum ampla dote conſignata.

A ſubſidio & Ducis ipſius præſentia collegit animum Liſſovianus miles, redintegrata itaq; pugna, ſi unquam alibi ferox & memorabilis, fuſi hoſtes, clades deinde & fuga ſubſecuta. Acceleravit plenam Polonorum victoriam opportunum Theophili Schembergii factum. Hic haud procul à caſtris & loco conflictûs, in eminentiori colle repentinum ſtruxerat propugnaculum, idq; levi aggere foſſaq; cinctum geminis tormentis, ac aliquot denis peditibus munivit, & ut hoſtium oculis ſpeciem virgultorum faceret, frondibûs arboribûſq; texit. Turcæ a conflictu profugi, locum præſidiô vacuum rati, cùm & quies ac ſilentium metum inſidiarum eximerent, ad illa virgulta arte & dolô ſtructa confugiunt. Tum Schembergius lætus laboris ſucceſſu, tumultuarium illud agmen magnâ glandium procellâ excipit, plures ſternit, reliquos ex propugnaculo erumpens, cum Polonis inſequentibus proterit & delet. Totus ille dies Polonis felix auſpicatuſq; fuit, hoſti verò ab octava hora matutina ad veſperam continuo impetu decertanti fatalis, & viribus ſuis pænè extremus, Turcis ipſis poſtmodum non diffitentibus: eo conflictu Oſmannum præcipuum robur exercitûs amiſiſſe.

Hac noviſſima ſuorum clade agnovit Oſmannus robur ſuum longe inferius virtute Polonorum, cæterum ut expeditio tanta mole virium, totiuſq; Orientis impenſis ſuſcepta, alicujus ſaltem oppidi Poloni interceptione, frequentibûs malis afflictum illius leniret animũ, & ejuſmodi expugnatione non ex integro ignominioſa eſſet; deportatis trans Tyram non poſtremis copiis

piis, arcem Potocciorum, Paniowce dictam, aggreſſus eſt. Magis illa ad elegantiam & amænitatem, quàm ad militarem regulam erat ſtructa, paucisq; tum ſed ſtrenuis defenſoribus commiſſa. Admota tormenta, repetiti inſultus irriti fuére; quare de faſtu demiſit inſolens Imperator vel maximè, dum Sigiſmundum Regem, cum nobilitate motu communi excita, adventantem non falſi rumores ſpargerent, ipſiq; captivi & exploratores famam properantis firmarent. Ne itaq; cum totius Regni viribus decertaret, qui à paucis magna parte victus erat, ad tractandam pacem, ſeriam adjecit mentem.

In ſupremo Turcici exercitûs regimine Uſſaimo ſucceſſerat Dilaverius Meſopotamiæ Præfectus, à ſancito nuper cum Perſis fædere, Imperatori charus, homo ob ætatem decrepitam quietis quàm belli ſtudioſior. Hic perſpecto primorum Turcarum, & ipſius Oſmanni animo, cum in dies tot malis preſſo militi pejora quæquæ imminerent, Vevelium ad Polonos ire jubet cum litteris publicæ ſecuritatis, quibûs ad condendam pacem Legatos invitabat.

Profecti Stanislaus Zoravinſcius Caſtellanus Belzenſis, & Jacobus Sobieski Palatini Lublinenſis Filius, à Turcis & à Radulone Palatino Valachiæ, præcipuo pacis adminiſtro benignè accepti, demum ad Vezirium Dilaverium deducti, poſt mutua urbanitatis officia, Polonorum & Principis Ladislai mentem detulerunt. De conditionibus diſceptatum diu, cùm Turcæ jam tributum à Polonis pendendum, jam cohibitionem pænaſq; Coſacorum pro irruptionibus in ditiones Turcicas exigerent, aliaq; ignominioſa ac ſi Victores proponerent. Ad mentionem tributi juſta indignatione commotus Zoravinſcius *Bellatum eſt hactenus* inquit *Dilaveri ſed nec dum vobis æquus Mars adjudicavit victoriam, quæ vos hoc tumido inflaret faſtu, nos verò extremo metu dejiceret. Polonos ſcias liberè, ſibi impoſitis parere Regibus, gentemq; in*

in libertate natam ultimum potius excidium laturam, quàm aliquo infami tributô libertatis ſuæ detrimentum accepturam. Poſt hæc ſurrexère Legati, manumq; valedicturi porrexère Vezirio, eandem, cum qua venerant, abituri expoſcentes ſecuritatem & fidem. Ad hanc denunciationem & conſtantiam attonitus Dilaverius, prehenſa utriuſq; familiariter manu, abitum parantes detinuit, & æquior faciliorq; in tractandis rebus mox comparuit.

Levi negotiô conditiones aliæ complanatæ ſopitæq;: de Coſacis diſceptatio diutius protracta, Turcis pænas ſuppliciaq; tanquam à fæderum violatoribus, pertinaciter depoſcentibus: Polonis eadem à Tartaris graſſatoribus, & prædatoribus acriter urgentibus. Cùm difficilem exitum ejuſmodi controverſia haberet, oblivione tandem ab utraq; parte condonatis injuriis quievére. Interea Sobieſcius, ut opus maturaret, ad caſtra profectus, inſtrumentum à Senatoribus ſubſcriptum, Andreæ Szoldrſcio Secretario Regio, Principis Ladislai Cancellario, jam conſignatum recepit, litteraſq; Lubomirſcii & dona Oſmanno conferenda detulit.

Pax in ea præcipua capita coaluit. *Pax in annos viginti eſto, & injuriarum oblivio mutua. Coſaci cohibeantur ne mari, aut terrâ Turcarum Provincias incurſent. Tartarorum gens pariter ab Oſmanno frænanda, ne quid hoſtile in Poloniam attentet. Chotimum urbs Moldaviæ reſtituatur. Sine lytro captivi partibus ſuis reddantur. Ad Valachiæ Principatum nullus Turcarum, Chriſtianus duntaxat promoveatur.* Poſt hæc præeunte Dilaverio patuit ad Oſmannum Legatis aditus, ubi poſt ſolita venerationum officia, Caſtellanus Belzenſis brevi ſermone pacem inter Regem Poloniæ, Domumq; Ottomanicam ſancito fædere redeuntem, Dilaveriiq; prudentiâ firmatam, Polonos religiosè ſervaturos declaravit, deinde litteras Lubomirſcii ac dona obtulit. Accepit benignè munera, & pauca de fructu pacis prolocutus, Legatos valere juſſit. Pacta in ea-

castris promulgata magna animi voluptate utrumq; reple̊runt populum: faustis acclamationibûs aër personuit, exonerata tormenta, nox ipsa in societatem lætitiæ a Turcis tracta, festivis ignibûs resplenduit. Post decantatum in castris Polonis DEO exercituum gratiarum carmen, Andreas Szołdrski ad Sigismundum Regem expeditus, qui victoriam bellumq; confectum nunciaret.

Hic fuit finis famosissimæ per orbem expeditionis maximâ Turcarum præsumptione susceptæ, majori ignominiâ finitæ; præterquam enim, quod sex annorum apparatum, ingentes sumptus prodegissent, veteranorum militum frequentibus hisce oppugnationibus prope centum millium, totidem peste aliisq; casibus jacturam fecere. Hæc memorabilis victoria Polonorum de tam superbo hoste, totoq; Oriente contigit annô à partu Virginis 1621. pacisq; conditiones anno eodem subscriptæ X. Octobris, quæ dies universæ Poloniæ celebris est.

Victoriam hanc præcessit visio (ut habet Historia Collegii Calissiensis S. J. anni ejusdem, & illius meminit *Kobierzycki L. X. & Cordara Hist: S. J. Par. VI. Lib. VI.*) Unus Patrum S. J. semivigil, vidit ab Occidente curru Beatissimam cum puerulo JESU, & supplice ad pedes S. Stanislao Kostka, pro sua Polonia deprecante insidentem, vectam binis equis albis in Orientem, Chocimum versus, arcem in Valachia sitam. Retulit id Patri suæ conscientiæ arbitro: notârunt ambo ea omnia, videlicet diem atq; horam: & patuit eadem die, post plures Osmanni clades pacis conditiones initas, & subscriptas fuisse. Extat hujus visionis pictura in Templo ejusdem Collegii. Alteram visionem tempore hujus belli Laurentio Gembicki Regni Primati exhibitam *Vide Lib: I. pag: 150.*

XXXI.

XXXI.

PAULUS III. PIASECKI

HUnc probata eruditio ad altiores promovit Cathedras. *Vide pag: 21.*

XXXII.

ANDREAS III. LESZCZYNSKI

CUlmensis, demum Gnesnensis Antistes. *Vide L. I. pag: 169.*

XXXIII.

MICHAEL ERASMUS DZIAŁYNSKI

De Stemmate Ogonczyk Vide p. 28.

STanislao Palatino Culmensi & Sophia Plemięcka genitus, adolescentiam in Patria, ulteriorem ætatem severioribûs scientiis Romæ excoluit. Ibi cùm Theologiæ daret operam, expugnatum à Polonis Smolenscum certa famâ detulit. Magna animi voluptate accepit hunc nuncium, sortemq; Poloniæ urbs integra; Michaël ut communem lætitiam magis festivam redderet, triumphales accendit ignes, quos descripsit Ramirus. Redux in Poloniam Cracoviensis, Varmiensis Canonicus, Abbas claræ tumbæ, Episcopus Hipponensis, Varmiensis Suffraganeus Varmiensem Episcopatum nomine Joannis Alberti, Principis Regii administravit, omnisq; & exercitium laboris Præsulei difficillimis temporibûs, quibûs Svecus in Varmiam sæviit, sustinuit. *Vide L. I. & p. 355.* Tam emeritum Præsulem Ladislaus IV. ad Camenecensem promovit Sedem, quam bienniô rexit, magnô totius Diæcesis fructu. Abiit è vivis 1648. quo anno Pacta conventa Joannis Casimiri subscripsit. *Vide Legum Volum IV.*

N 2 XXXIV

XXXIV.

LUDOVICUS STEMPKOWSKI
De Stemmate Suche Komnaty.

Tuba est venatica nigri coloris in campo rubro, utroq; cornu erecta, aureô funiculô per medium connexa in cujus medio crux expressa est.

HEbdoviensis Abbas, Camenecensis Præsul fuit solatium afflictæ Diæcesi, totiq; Podoliæ, sub tempus seditionis rusticæ per Chmielniccium post fata Ladislai IV. excitatæ. Sæviit illa igne & ferrò nulli hominum statui, sexui, nulli parcens ætati. Pagi, oppida in spolium, oppidanis & incolis aut cæsis, aut in suas partes abire jussis, rebelli cessère populo. Eam hostilitatem sensit Barum oppidum Podoliæ, opposuerat se illud oppugnantibus Cosacis, sed à majore numero obrutum, & expugnatum post prædam majoris pretii abactam, proprio cruore immaduit extremo excidiô sublatum. Necem tantam proxime occisorum manes vindicârunt. Anno 1651. in eadem urbe visum est mortuorum supplicantium agmen die medio, ex tempore in templum procedere, & unanimi ploratu ultionem sangvinis sui innocui à Deo injuriarum vindice efflagitare. Et valuere preces; dum annô eodem cruenta ad Beresteczkum cæde rebelles Cosaci temeritatem & hostilitatem suam expiârunt. *Naramowski L. I. C. IV.*

Hac suorum clade minime depressus Chmielniccius Filium suum armat, & in Valachiam ad ineundum connubium cum Filia Palatini expedit, qui cæso exercitu Polono, & ipso Duce Kalinovio interempto, copias ex consilio Parentis Cameneco admovit 1652. Et quia Urbem hanc non Cosacorum viribus expugnandam advertit, Patrem ad Corsunum hærentem consuluit. Bogdanus factum Filii probavit, monuit tamen, ut caveret, ne Cosacorum abuteretur sangvine.

Ut

Ut tamen Urbe hac tam prævalida potiretur, dedit litteras ad Camenecenses: quas refert. *Rudawski L. IV. C. VI.*

Consuli Proconsuli Scabinis Civibus totiq; communitati Civitatis & propugnaculi Camenecensis una cum toto Zaporoviano exercitu salutem.

Quidquid Monarchis, cæterisq; Principibus contingat, totum id DEO ordinante & permittente fieri, quotidiana docet experientia. Hinc Dei Omnipotentis factum esse crederent, Kalinovii deletum exercitum, quem non manus Cosacorum, sed fortis dextera Dei delevit ac perdidit paucis exceptis, qui Camenecensi caveæ se incluserunt. Hos Filius meus ut sibi infensos hostes ac inimicos persequitur, eoq; consilio Camenecum obsidet, ut eos habere possit, quos inimicos novit. Monere proinde ut fidos & amicos vicinos, consulerent potius rebus suis, civitatem armato filio ingredi permitterent, aut ejus hostes propugnaculo pellerent; ita illos posse optata libertate gaudere sub aliis victoris exercitus Cosacorum.

Delatæ litteræ Camenecum ab uno ex captivis Polonis, lectæq; a Civibus, Potoccio Lanckoronscio aliisq; præsentibus, ad quas responsum datum est Chmielniccio.

Bogdano Chmielniccio Zaporoviensis Exercitûs Duci, totiq; Cosacorum exercitui, Cives & communitas Regiæ Urbis Camenecensis salutem.

Fatemur universi Te impium Nicanorem esse, excidio ultimo Poloniæ reservatum, & nihil illi veteri Judæorum flagello absimilem, nam & tu vero Catholico dogmate imbutos, à patriis & Dei revocas legibus, templa DEI vivi contaminas, innocuum profundis Christianorum sangvinem, summo cum Turcarum tuorumq; fidissimorum Scytharum applausu. Sed memineris in manu ejusdem Dei esse, affligere, & afflictos erigere, percutere & sanare percussos. Scimus te confide

fidere in armorum robore, tuorumq; ferocia, sed neq; te lateat, nos universumq; Regnum Poloniæ in Omnipotente quoq; Deo confidere, qui potest & venientes adversum nos & universum mundum uno nutu delere. Cameneci 17. Junii 1652. *Rudawski locô citatô.*

Hoc responso exasperatus Chmielniccii Filius oppugnationem parabat, sed jussu Patris per Wychovium supervenientem in Moldaviam ad suam Sponsam perrexit furoris sui relictis ubiq; vestigiis. His Diœcesis suæ cladibus ingemiscens Ludovicus obiit mærore consumptus 1660.

XXXV.

SIGISMUNDUS CZYZEWSKI

De Stemmate Pobog vide p. 128.

EX Canonico Plocensi & Varsaviensi Paradisiensis Abbas. Camenecensis Præsul statum Diœcesis superioribus annis afflictum, quo potuit modo, reficere curabat, sed bene cæpta mors impedivit, quæ eundem 1664. humanis solvit.

XXXVI.

ADALBERTUS KORYCINSKI

AD Leopoliensem Metropolim translatus. *Vide L. I. pag: 132.*

XXXVII.

VESPASIANUS LANCKORONSKI

De Stemmate Zadora

Caput est leonis in campo cæruleo apertô ore flammam evomens.

SAmuelis Castellani Sandecensis, & Catharinæ Firlejowna Filiæ Thesaurarii Regni Filius, Natalibus, & Familiæ dignitatibûs variis in Polonia claræ, optimâ indole & moribûs respondit. Sperabat multa à tanto

Præsule Camenecensis Ecclesia, & dum hic pararet beneficia, proh dolor! anno 1672. ingenti Poloniæ & totius Christianitatis luctu Camenecum cum Podolia ivit sub jugum Turcicum. A die VII. Augusti per duas hebdomadas oppugnatum, certis conditionibûs Mahometi IV. cessit. (a) Imperator hic Religioni & Ecclesiam & omnem libertatem promiserat, sed urbe potitus, per calcatas Divorum imagines triumphali ingressu facto. templa in fana suæ sectæ, nonnulla in granaria convertit, uno exiguo Catholicis Romani ritus ad obeunda sacra relicto (b) Ea Poloniæ clades, lachrymas elicuit Clementi X, quare ut DEUM huic Regno placatum efficeret, Orbi Catholico indulgentias elargitus, supplices pro Polonia preces indixit.

Nec frustra supplicatum: anno sequenti 1673. armis Poloniæ favit exoratum Numen, & brachiô excelsô intendit Polonorum manum. Captô Cameneçô plura moliebatur Turca in perniciem Regni hujus; magnas contraxit copias, cum illisq; ad Chotimum castra metatus est Duce Cussaino. Michaël Visnioviecciùs tum Regno, Joannes Sobieski Polonæ militiæ præerat, Dux ferrô formidabilis & fortunatus. Post plures velitationes, Ductore hoc Poloni, ipso die festo S. Martini Pontificis hostilia castra adorti, perruptis munitionibûs intra spatium aliquot horarum plenam reportârunt victoriam cruentâ Turcarum cæde. *Lubienski in Geographia* 60000. *Lenguichius* 30000. scribunt ferrô absumpta, præter eos, quos Tyras fluvius aquis absorpsit. Victoria hæc eo fuit gloriosior, quod Dux Sobieski è suis 300. tantum desideraverit *Lubienski Geograph.*

In principe hostilium munitionum tentorio, Ducis jussu sacris operatum est: & finitô sacrificiô, Hymnum Ambrosianum Deo exercituum laudes & gratias referens victor miles cecinit, tubis ac machinis militaribus læti-

(a) *Pulaski.* (b) *Idem. Kwiatkiewicz in Supplemento Annalium.*

lætitiæ de hoste profligato applaudentibus. Præter opimam prædam in opibus, variaq; armorum supellectili, in tentorio Cussaini reperit Sobiescius vexillum Mahometis, ut magnitudine, sic Phrygio labore insigne, quod Romam transmissum, jussu Clementis ut monumentum victoriæ in Ecclesia Vaticana appensum est. Et quia, ut vincere, sic victoria uti noverat Sobiescius, Chotimum, & nonnullas arces in Moldavia & Valachia brevi expugnavit. Parabat victorem exercitum promovere in viscera Imperii Turcici, sed nuncius de obitu Michaelis Regis, Leopoli ipso die obtentæ victoriæ defuncti, Ducem redire coëgit, nec Cameneco saltem copias admovere permisit.

Vespasianus sua Diæcesi & Ecclesia privatus, reliquum vitæ tempus gregi illachrymans transegit, anno post Christum natum 1677. mortuus.

XXXVIII.

JOANNES VI. CZARNECKI

De Familia Prussorum.

PRæsul extra Sedem & Diæcesim gemente sub Turca Podolia ut pro dignitate Senatoria subsisteret, Abbatiam Czervinensem administravit: quo anno obiit, illius temporis ætas prætermisit.

XXXIX.

STANISLAUS II. WOIENSKI

De Stemmate Zadora vide p. 198.

MAthiæ & Evæ Kaczycka Filius, Cracoviensis Canonicus, Lubinensis Abbas, ac in anno 1679. Camenecensis Antistes. Meruit favores Ludovicæ Reginæ, quæ illius dexteritatem in multis negotiis experta est. Ivit sæpius in Gallias ejus nomine, & ad illius vota perfecit omnia. Magnarum virtutum Præsul mortalitatem exuit 1685. Bielanis apud Camaldulenses sepultus.

Meminit illius Tractatus Joannis III. cum Leopoldo Cæsare initus 1683. quem subscripsit.

XL.

GEORGIUS DONHOFF

PRemisliensis demum Cracoviensis Antistes. *Vide L. 1. p. 374.*

XLI.

CHRYSOSTOMUS GNINSKI

De Stemmate Trach

Scutum est per medium divisum, in cujus parte sinistra draco extat erectus alatus pedibus extensis: in parte vero dextra tres lineæ inæquales in latum protensæ, ita, ut superior aliam longitudine excedat.

JOannis Regni Procancellarii & Dorotheæ Jaskulska Filius, Regni Referendarius Abbas Vagrovecensis tandem Episcopus Camenecensis. Joannis III. amores meruit, dum illum non dum Præsulem Rex suæ expeditionis ad Viennam comitem esse voluit. Hæc quam glorioso eventu Polonis cesserit? Vienna ab obsidione Turcarum liberata, munitiones & Urbes in Hungaria vindicatæ à Turcis, monumenta sunt.

Pridem hic Christiani nominis hostis oppugnationem istius inclytæ Austriacorum Metropolis ambitiosa volvebat mente. Adhuc anno 1529. Solimanus II. ut Joannem Zapola Transylvaniæ Palatinum à quibusdam electum in solio Hungariæ Ferdinando Caroli V. Cæsaris Fratri ad Regnum Hungariæ à pluribus invitato opponeret, cum 200000. armatorum Hungariam invasit. & ut in ipsa Sede Austriæ Ferdinandum opprimeret, XX. Septembris Viennam obsidione cinxit; verùm virtute Philippi, Patrui Friderici Palatini Electoris, Comitis Salmensis, Vilhelmi Regendorffii ultra viginti millibus virorum amissis, XIV. Octobris cum igno-

gnominia obsidionem solvit. Tentavit denuo 1532. idem Turciæ Imperator belli fortunam numerosis copiis Hungariam ingressus, sed adventu Caroli V. Cæsaris territus, inglorius abire, quàm cum ejusmodi Heroe aciem committere elegit.

Belli hujus, quod Joannem III. Leopoldo Cæsari in suppetias evocavit, occasio fuit itidem Hungaria, & tumens Emerici Tekelii animus, quem victoriis elatus Mahometes IV. in perniciem Leopoldi Cæsaris fovebat, & ut illum magis infensum redderet, Ducis Hungariæ insignia: gladium, clavam, vexillum, cum muneribus & magnarum copiarum promissis submisit Tekelio. Eo Turcæ favore Dynasta Hungarus ferocior auream argenteamq; cudi jussit monetam cum inscriptione: *Pro Deo & Patria* in altera verò parte: *Emericus Comes Tekeli in Kismark Dux Hungariæ.*

Noverat perbene Leopoldus Cæsar, cujus instinctu res in Hungaria turbarentur, cujus spiritu viveret & superbiret Tekelius. Comes quoq; Caprara, Leopoldi ad Portam Ottomanicam Legatus, armari Constantinopolim contra Hungariam & Austriam non uno indicio comperit; quare festinatis nunciis Cæsarem admonuit, bellum illi certissimum imminere. Quid ageret afflictus Princeps? miles erat conscribendus, sed rebellis Hungaria aut nullum aut exiguum, Bohemia aliæq; Provinciæ Cæsareæ imparem viribus totius Orientis subministrare poterant. Ad fœdera igitur cum externis Principibus adjecit mentem. Illud cum Innocentio XI, cum Republica Veneta iniit, ad idem ineundum Comitem Valsteinium in Poloniam expedivit. Varii variorum erant sensus in eo componendo, cæterum totius Christianitatis negotium prævaluit; in Comitiis Varsaviensibus omnium Ordinum consensu 1683. conclusum est & Joanni III. si in persona bello adesset, supremum armorum regimen delatum. (c) Magna itaq; contentione

(c) Puncta Tractatûs vide apud Zaluscium Tom: I. Parte II.

ne omni ex parte parabantur exercitus.

Primus Turca præter Tartaros (d) trecenta prope millia ex Europa, Africa, ultra quingenta tormenta bellica, supellectilem militarem innumeram produxit in aciem, cum eaq; gentium colluvie Belgradum prætergressus pervenit in Austriam. Comes Starembergius ad defendendam Viennam a Leopoldo cum supremo regimine relictus, ubi nuncium accepit de Turcis appropinquantibus, arbores ad ripas Danubii, & ædes quandoq; hosti profuturas comburi fecit. Decima tertia Julii 1683. comparuit Turca, vallumq; in conspectu Viennæ struxit, non absq; jactura à tormentis urbanis. Et quia non satis habuit Mustapha, supremus Vezirius Viennam obsidere, in Moraviam Hungariam emittebat copias, quibus & vastitatem inferret, & suppetias Urbi superventuras impediret.

Coaluerat jam fœdus Leopoldi cum Polonia, sed miles tam cito congregari non potuit; quare Joannes Rex Hieronimum Lubomirski Mareschalcum Curiæ Regni cum nonnullis cohortibus expedivit in Hungariam, ut Principis Lotharingi supremi Ducis copiarum Cæsaris vires augeret. Adfuit ille opportune. Tekelius ut alterâ etiam ripâ Cæsareos depelleret, Posonium Urbem Hungariæ per deditionem acceperat Ogilvio Centurione cum ducentis in subsidium properante profligato. Cladem hanc brevi Lotharingus cum Lubomirio egregie ultus est, Tekelio cum decem millibus Turcarum & eorum Ductore Hussaine acie pulso; strages erat maxima in fuga, Turcarum vestigia Polonis Tyrnaviam usq; prementibus; in lucro verò receptum Posonium. Non improsperè cessit & altera expeditio in Moravia; in hanc Tekelius cum quatuordecem millibus Turcarum excurrerat prædam & populationem acturus. Redibat composito agmine spoliis onustus, & cæde

(d) Centum millia Tartarorum sub Selimgereio Hano inter Duces belli non postremo fuisse scribit Pulaski.

cæde agrestium superbus: in eum ex insidiis primùm tormentis Lotharingus detonuit, tum acie bene instructa in perturbatas cohortes invectus est. Mille ducenti cum Bassa Agriensi & Tartarorum non postremo Principe periêre; duo & vicena signa equestria, pedestria septem & viginti intercepta, equi sexcenti tres & triginta cameli, præter prædam magna parte abactam. Aliis quoq; in locis non infeliciter à Cæsareis pugnatum est; sed Vienna in dies arctiùs premebatur, & nisi probata virtus Starembergii esset præsidium, extremum urbi imminebat periculum.

Tandem Joannes III. Rex Poloniæ ut arte regnandi, sic bellica virtute gloriosus, 20000. conscripto exercitu. (e) Cracoviæ per Pallavicinum Nuncium Apostolicum, faustâ ritu Ecclesiæ Catholicæ precatione acceptâ, movit ad defendendam Viennam. Superatis montibûs Tarnoviensibûs, Olomucium ubi pervenit, à confluente & supplice populo, velut alter Othoniel salutatus est. Et quia continuis cursoribûs ad succurrendum fatiscenti urbi invitabatur, quantum potuit, maturabat iter. In exitu Augusti supervenit, ac è consilio Lotharingi Danubio trajecto, in agro Tulnensi cum Cæsareis castra fixit, quo ceteræ fæderatorum legiones convenire jussæ. Die VII. Septembris adfuerunt Bavarorum equitum tria, peditum septem millia: totidem Saxonum, novem millia Svevorum ac Franconum. Ea, qua par erat, dignitate salutatus Joannes à copiarum Ducibus & Principibus, totiusq; exercitûs Christiani Imperator generalis promulgatus est: pro ineundo consilio bellico quivis postmodum ad sua recessit tentoria. Contulit cum suis de modo aggrediendi hostem & Joannes, ac collatis in unum omnium sensibûs conclusit militem gemino tractu Viennam ducendum. Undecimâ Septembris servatis ordinibûs per arduos colles, val-

(e) *Zaluski Tom: I. Part II. Lubienski in Geographia scribit 30000.*

valliumq; anfractus in Cæcium montē exercitus eluctatus est. In dextro cornu locati erant Poloni, quos regebat Rex ipse cum Jacobo Filio, Jablonovio, Sieniavio, illo supremo, hoc minore armorum Duce, ac Senatoribus permultis. Lævum obtinebant Cæsarei, quibus præerat Lotharingus, Saxolavenburgicus equitatûs Magister, Leslæus, Dunevaldus, Æneas Caprara: Mediam aciem implerunt Saxones, Bavari Francones, Svevi: Bavaris Degenfeldius, Saxonibus Goltzius, Fridericus Saxo, Svevis ac Franconibus Valdeckius, Marchio Baruthanus, Thungenius imperitabant.

Illuxit dies XII. Septembris, dies Dominica, dies Viennæ propitia, Christiano Nomini gloriosa, ignominiosa Turcis & fatalis. Rex summo mane sacrificio missæ cum suis Ducibus interfuit, felicemq; belli successum Deo exercituum supplex commendavit: brevi postmodum sermone militem ad fortiter agendum allocutus, Jacobo Principi Filio arma obtulit, & ad bene gerendum pro Religione, pro immortali Gentis gloria eundem paterne admonuit. Interea expansis ordinibûs demissa acies per declive, barbarorum copias pugnæ accinctas in conspectu habuit. Nam Vezirius ad radicem montis flore exercitûs collocato, peditum cohortes oppido Nuceto cum Ibrahimo Budensi Præfecto, veterano fortiq; bellatore injecit, loca monti adsita vallô circumductô, ac tormentis in fronte dispositis munivit, omnes hortatus, ut stationem ceu ultimam sedem armorum supremis viribûs tuerentur.

Non cessêre animis Christiani, sed confertis ordinibûs, quantum viarum asperitas patiebatur, dimensoq; gradu in hostem processêre. Pulchrum erat coelestis spectaculum, intueri montem florentissimo exercitu refertum. Armis insignibûs viri splendebant; & Duces partis victoriis inclyti agmina sua promoventes noscebantur: Ipsa montis declivitas, quòd singuli armatorum perspicue sub aspectum caderent, numerum copiarum augere est visa.

Pri-

Primi Cæsarei Ænea Caprara Ductore tormentorum, & glandium manualium procellâ hostilem equitatum impulerunt, dum ad angustias Nuceto adsitas hora octava ante meridiem perventum esset. Ex his in oppidum compulsi stationarii liberum sinistræ alæ descendendi iter dedere. Media acies ac cornu dextrum confertis Janizarorum cuneis perruptis, ipso meridie in planum emersit. Nucetô, alteroq; vicô Heiligstadiô per Cæsareos expugnatis; cùm animadverteret Ibrahimus Budæ Præfectus Cæsareorum impetum se sustinere non posse, & Vezirium in altero latere fortiter incumbentibûs Polonis laborare, ne divisis viribûs uterq; vinceretur, captô in acie consiliô, cum omnibus copiis ferox in Polonos irruit. Tum verò in patenti campo justô præliô pugnatum est. Hussari, robur Polonæ militiæ ad frangendas acies, subditis calcaribûs in media agmina illati immanem stragem ediderunt, præcipuè Alexandri Principis centuria, quæ prima in medium hostium irrupit. Perierant fortissimi equitum multitudine Turcarum circumventi, nisi Joannes tempestivè submissô subsidiô, & Cæsarei cum Bavaris festinatis auxiliis in latus incurrissent.

Sed Rex eo die momentum persanè magnum fuit ad victoriam. A fronte irruens cum prætorianis densissimos Janizarorum ordines infregit, ubiq; imperiô, manu, vultu ipso suis addens animum, hostibus terrorem incutiens. Nondum tamen ea parte, statione cessere Ottomani, verùm adeò forti gradu conseruêre manus, ut non sustinuerint modo vires incumbentium, sed interdum repulerint. Ad extremum captô Janizarorum vexillô, & equo Vezirii, quem in æstu pugnæ mutavit, cæsisq; pugnacissimis Turcarum cum Kihaia ad castra defendenda compulsi sunt.

In sinistro cornu Lotharingo æque ferrô via aperienda erat, occupandusq; tumulus proximus castris, viris, armisq; probè communitus. Ancipiti Marte diu decertatum.

decer-

decertatum. Sed Principis hujus dexteritas fregit hostis pertinaciam, præcipuè cùm rumor percrebuisset, Cæsareos in castra irrupisse dextrumq; cornu profligatum. Fusas acies sortemq; suorum inclinatam non sine lachrymis spectavit Mustapha Vezirius, & metuens, ne captivus in prædam veniret, saucius terga vertit: Ducem secuti Chanus primiq; Ductores: peditatus, qui in campo extremus substitit, in fædissimam fugam abiit.

Lotharingus castra ingressus, in illo ardore animi prudentiùs, quàm avidiùs perculsis institit, suos ab omni præda cohibuit, plenis ordinibûs per Rossavium suburbium ad muros accessit, nihil deniq; in hostibus pæne devictis tutè despexit. Castra ultra modum opulenta subiverunt Saxones, Bavari, Svevi, Francones sextâ post meridiem horâ, tardiùs Poloni, noctemq; sub Turcarum tentoriis mutuas inter gratulationes egerunt. Rex Poloniæ frænatos equos stare, magnamq; exercitûs partem in armis esse, ac vigilias servare jussit, ipse, si quid nocturnæ trepidationis oriretur, pervigil ac expeditus in Vezirii tentorio cùm Prætorianis perstitit. Occupaverat illud in aditu castrorum Vezirium persequens, uno ex aulicis ipsius, qui è fuga retractus est, locum tentorii commonstrante. Confestim missi equites, qui nomine Regis illic stationem figerent, atq; ea parte castrorum populatione militem prohiberent.

Stabat illud non ad omnem duntaxat commoditatem, sed & delicias instructum. Balnea, fontes irrigui, aquæ ductus, peregrinæ aves non sine intuentium admiratione, in illa amplissima linea, arce integra intactaq; conspiciebantur. Præter arma diversi generis, auro gemmisq; adornata, auri argentiq; copiam, repertum est vexillum Princeps Mahometis, ab Imperatore in campo Belgradi datum: pretiosarum vestium, equorum ingens numerus, instrumenta litteraria. Prædandi nulli deerat cupiditas. Direpta tentoria quinquies & vicies mille, prædivite supellectili instructa. Camelorum qui-

na,

na, boum dena millia: frumenti, orizæ, fabarum Arabicarum ingens copia. In publica armamentaria variæ formæ tormenta ter centum, reliquusq; rei bellicæ apparatus, summis expeditionibus par, illatus.

Eam Turcarum cædem, & Christiani exercitûs victoriam per hunc Chrysostomum Joannes III. eodem die detulit Innocentio XI. brevi vexillum Mahometis per Joannem Casimirum Doonhoff claræ tumbæ Abbatem eidem transmisit. Ad nuncium liberatæ Viennæ & partæ victoriæ Romanus Pontifex, Roma integra lætis personuit vocibûs: solennes in Ecclesiis Deo actæ gratiæ: in Vaticano verò Templo vexillum Mahometis (f) in rei memoriam jussu Innocentii appensum. Omnium ore circumferebatur Joannes, Rex gloriosus, ejusq; laudes, ut posteris manerent, inscripsit Roma.

JOANNI III.

ELectione Polonico, Lithvanico; libertatione Austriaco, Pannonico: profligatione Ottomanico, Thracico, Scythico; Religione Christianissimo: pietate Catholico; zelô Apostolico: inter Duces bellicosissimo; inter Reges sapientissimo, inter Imperatores augustissimo: Cui gloria militaris Regnum peperit, clementia stabilivit, meritum perennavit. Qui rarô pietatis & constantiæ exemplô propria deserens docuit: quo pacto sacra fæderis jura ineantur, custodiantur, compleantur. Ottomanicam lunam fulgentissimo Crucis vexillo æternam Ecclipsim minitantem adeò prospere, feliciterq; è Christianorum finibus eliminavit, ut unum idemq; illi fuerit, venisse, vidisse, vicisseq;. Inter innumeros igitur Christiani Orbis plausus, inter vindicatæ Religionis & Imperii lætitiam, inter cruentatæ lunæ extremos deliquia, agnoscant præsentes, credant posteri, non tan-

(f) *Alterum à Joanne Sobiescio hujus Mahometis vexillum Romano Pontifici transmissum vide superius p. 200.*

tantum enascenti Evangelio, quo promulgaretur, sed & adulto, ne profligaretur, utrobiq; à Deo missum fuisse hominem, cui nomen erat JOANNES. *Paloski.*

Post datum aliquod tempus quieti, postera die, quæ erat XIII. Septembris, Rex Poloniæ à Ducibus Saxoniæ, Lotharingo, Comite Starembergio Urbis Gubernatore salutatus, insigni pompa Ducum, Præfectorum, civium per ruinas in urbem deductus est. Inspectis æstimatisq; hostium accessibûs, operum firmitate, propugnaculorum ruinis, apparuit sola defensorum virtute Viennam stetisse, quod Starembergio immortale nomen peperit. Inde per agmen è militibus & civibus compositum, in templum aulicum contendit ibiq; in Lauretano B. Virginis sacello Ambrosiano carmine Deo Victoriæ authori, & Magnæ Dei Matri gratias persolvit. In castra reversus, sequenti die legiones suas intra Svechetam & Ebersdorfum locavit; cæteri quoq; fæderati copias ab urbe removerunt; quòd à stratis passim cadaveribus vi æstûs jam corrumpi incipientibus lues & morbi timerentur. Non post multo advolavit Lintziô Leopoldus Cæsar, contemplatusq; stragem mænium ad sacras ædes D. Stephani processit: actisq; supremo exercituum Deo gratiis Regem Poloniæ & Electores convenit. Nihil hic venerationis prætermissum, quæ Cæsarem, quæve Regem victorem addeceret. Ultra horam de belli progressu Leopoldus collocutus, lustratô & collaudatô Polono exercitu, post mutuos amplexus valedixit Christiani belli Imperatori.

Rex post varios belli successus rediit plenus gloriæ in Poloniam, magnâ totius Regni lætitiâ acceptus. Intendebat ille Camenecum vindicare; sed opus receptæ Podoliæ Deus reservavit illius Successori. Anni 1696. dies decima septima Junii, quæ in festum SS. Triadis inciderat, ultima fuit vitæ Joannis III. Flevit suum Regem Polonia, miles Ducem, Austria, cum

Viennæ parentavit, Liberatorem, Hungariæ suarum Urbium Vindicem, indoluit fato Roma cum suo Pontifice, Innocentio XII. & manibus tanti Principis justa persolvit: hostes ipsi, famæ Joannis invidi, ad nuncium obitus dolorem testati sunt.

Tanto Regi Augustus II. Saxoniæ Princeps & Elector 1697. in Junio à Dąbscio Vladislaviensi Episcopo nominatus successit: & XV. Septembris anni ejusdem, ab eodem Præsule unctus, Regiisq; insignibus adornatus est. Primam ille intendit curam ad recipiendum Camenecum. Fædere, quod Respublica cum Leopoldo Cæsare 1683. inierat, erat cautum, ne pars una absq; alia pacis conditiones etiam utilissimas cum Turcis concluderet. Interventu interea Regis Angliæ, & Ordinum fæderati Belgii, bellorum tædiô partes belligerantes propendebant in quietem ab armis: nec eam abnuebat Mustapha II. qui tum rebus in Turcia potiebatur, suorum Purpuratorum rationibûs expugnatus.

Carłovicium itaq; Sirmii oppidum, Cæsareæ jurisdictionis, negotiationi tantæ designatum 1698: adhibiti conciliatores: Angliæ Regis nomine Vilhelmus Pagetus, Hollandorum Jacobus Colyerius, uterq; rebûs gestis commendatus. A partibus fæderatis, videlicet Cæsare, Volfgangus Comes Oetinganus, Leopoldus Comes Schlickius, Comes Aloysius Ferdinandus Marsilius lingvæ Turcicæ & aulæ Byzantinæ gnarus: à Polonis Comes Stanislaus Małachowski Palatinus Posnaniensis: Carolus Ruzzinus à Republica Veneta: à Petro Alexevicio Procopius Bogdanovicius Vosnizinus Caro ab arcanis consiliis. Ab aulâ verò Byzantina Mehemetes Refs Effendius Imperii Cancellarius & Alexander Maurocordatus è nobili Scarlatorum Familia.

Multa erant frangenda Małachovio: tandem controversia pari pertinacia diu agitata, 1699. his conditionibus sublata est. Poloniæ Regnum veteres suos limites

mites habeat. Moldavicis præsidiis, oppidis rebûs integris relictis militem abducat. Podoliam, Ukrainam cum Cameneco recipiat. Institoribus oppidanis, fas esto demigrare, quo libitum fuerit. Mense Martio 1699 depacta loca sine mora evacuentur, quo tempore nuncii Byzantium expediendi. *Vide Załuski Tom II.*

Brevi rediit Małachovius cum instrumento pactarum conditionum; quare ad supremam manum operi imponendam Stanislaus Rzewuski tum Præfectus Chełmensis Castri Constantinopolim expeditus est. Restitutio Cameneci per pacta recens inita erat decisa, ad illud recipiendum à Republica designati Commissarii, cæterum modus illius reddendi negotium & difficultatem facessebat Poloniæ Legato, resq; in dies trahebantur. Tandem XXV. Julii Rzewuscius efficaci operâ obtinuit puncta à Maurocordato nomine Veziril Adrianopoli conscripta, quibûs modus proponebatur tradendi Cameneci, eaq; certo cursore Commissariis transmisit. Hæc in sua relatione recepti Cameneci typo impressa complexus est Stephanus Humiecki tunc Dapifer Podoliæ, demum Palatinus. Relationem prædictam, cùm sit infrequens, hic aliqua ex parte insero ad informandum Lectorem de circumstantiis recepti hujus Poloni propugnaculi.

I. Exercitus Polonus recedat à Cameneco ad minimum sex milliaribus: nec se immisceat evacuationi Camenecensi: & nullo pacto milites Polonici accedendo & recedendo, circa Camenecum perturbent evacuationem; sed secundum capitulationes cum quieta amicitia & bona correspondentia tanti fortalitii commodè & pacifice evacuatio fiat. Interea in arce SS. Trinitatis ordinariũ tantùm præsidium manebit.

II. Illustrissimi Commissarii maneant, ubi hactenus manserunt, scilicet circa arcem SS. Trinitatis cum debita suæ dignitatis assistentia, quæ non excedat unum mille hominum.

III. In transportatione onerum, si quæ salva guardia

à Camenecensibus desiderabuntur, præbeantur ex pacificis Officialibus.

IV. Post totalem evacuationem, vocati à Veziro Camenecensi Illustrissimi DD. Commissarii, fortalitium prædictum ingrediantur, & liberam ejus apprehendant possessionem.

V. In omnibus locis evacuandis, & evacuatis subditi, qui velint exire, exeant cum propriis supellectilibus, qui velint manere, cum propriis rebus maneant: domus & ædificia in integro relinquantur.

VI. Commeatus interea Camenecum transvectus pro sustentatione tanti populi, tutò vehatur & sine ullo impedimento.

VII. Totum negotium evacuationum commode & pacifice perficiatur, neq; expectatis litteris Cancellarii Magni Regni Poloniæ: incipiat statim evacuatio, ex quo litteræ pervenerint Celsissimi Vezirii ad Bassam Camenecensem, quæ evacuatio à die inchoationis intra duos perficiatur menses.

VIII. Edictum iterato Cæsareum dabitur ad Chanum Crimensem, quatenus fiat abactorum captivorum restitutio.

Significavit quoq; Martino Kątski Kioviæ Palatino Generali Podoliæ Præfecto Bassa Camenecensis Kachryman demandatam sibi à Cæsare restitutionem Cameneci, quare opus injunctum se acceleraturum, quàm primum Secretarii Varsaviâ Camenecum supervenerint. Diu hi expectati, tandem II. Septembris cum Angliæ Secretario comparuêre, deferentes Cardinalis Radzieiowski Primatis, Donhoffii Regni Cancellarii, & Supremi Vezirii litteras Bassæ Camenecensi inscriptas, quæ præsente populo lectæ sunt.

Mirum dictu, quantò animi dolore imperia Portæ accepta sunt; amænitas, fortitudo loci cunctis erat gustui, sed adversari supremæ Cæsaris & Purpuratorum voluntati erat nefas; itaq; Kihaiam seu Mareschalcum suum cum aliquot Agis (officiales sunt bellici apud Tur-

cas) ad arcem SS. Trinitatis Bassa expedit, denuncians brevi se Urbem traditurum, tantùm, ut *I. Naves subministrarentur Tyra fluvio ad pontem Valachicum, currus autem promissi pergerent sub præsidio & Officiali ingenuo. II. Expediretur Commissarius ad restituenda castella in Valachia pro re Palatini. III. Securitatis causâ, duo ex primoribus ab utrinq; tanquam vades darentur.* Omnia executioni data: naves subministratæ, currus submissi: Soczavam Niemcum Fredro Filius Palatini Podoliæ, Sorocam Martinus Kalinowski ire jussi: pro mutua quoq; securitate, Kihaia & Aga Serden, à Polonis Alexander Kątski & Roman dati.

Ita rebûs constitutis nihil deerat, nisi opus perficiendum: quod ab utraq; parte inchoatum est. Decem magni currus (Besgemesy à Turcis vocantur) V. Septembris Camenecô expediti ultra Tyram perrexêre: de quo Præfectus Turcicus Polonos certiores fecit duo postulans: ne quispiam Polonorum sese immisceret euntibus Camenecô, alterum ut Poloni excederent Valachiâ redditis munitionibûs loci Palatino. Omnis securitas abeuntibus promissa, repositum ad alterum, non prius Polonos reddituros propugnacula in Valachia, donec sua reciperent in Podolia; quare ad sopiendum hocce postulatum una dies determinanda esset restituendis arcibus. Pupugit non mediocriter ea responsio gentem suspiciosam, metumq; non exiguum incussit Ottomanis, quamvis per datos obsides fidem interpositam haberent; quare licet omnia impedimenta avecta essent Camenecô, miles tamen præsidiarius cum tormentis hærebat in urbe.

Optabant equidem Poloni, ut omnis res armamentaria à Turcis relinqueretur; sed à Rzewuscio his diebûs acceperunt, negotium rei tormentariæ agitatum fuisse in consilio magno, (quod Turcæ Dywan vocant) sed illius restitutio à Mufftio (Princeps est sacrorum) ex

ex vi Alcorani (a) non est permissa: cujus sententiæ subscripserunt singuli, & ipse Cæsar, sua religione moti.

Dum spes recipiendæ rei bellicæ præcisa, & oneraquæque Camenecô ultra Tyram avecta essent, reddendam urbem urgebant Poloni; sed Kachryman non priùs Camenecô se egressurum respondit, donec à Palatino Valachiæ certior fieret de redditis eidem propugnaculis. Res hæc ne negotium in longum traheret, Kalinovio & Fredro mandârunt Commissarii, ut arces Soczava Niemiec Soroca XVIII. Septembris Palatino traderent: ipsi verò Palatinô scripsere: submissurum Magnum Ducem post tres hebdomadas à recepto Cameneco Sniatynum binos Judices, qui cum totidem à Palatino designandis, querelas & injurias, si quæ essent, cognoscent, & satisfactionem cui & à quo debebitur, injungent. Scriptô ejusmodi delinitus Palatinus ad evehenda quæquæ per Polonos onera providit necessaria, detulitq; Camenecensi Præfecto à Polonis ad mentem fæderum sibi esse satisfactum. Denunciavit id Polonis Bassa, & ad tradendam ex integro urbem duorum dierum inducias postulavit.

Notitia de reddendo jam Cameneco ubi in vulgus sparsa est, Turcas vertit in rabiem; & quia supremæ menti contravenire non poterant, locum saltem ruinis horridum deserere statuerunt: fecissentq; quæ dictabat furor, nisi circumspectus Bassa maturè tumultui obstitisset. Id ubi advertit plebs furibunda, in vitam illius conspiravit, & nisi ædes mutâsset præmonitus, vesani populi cecidisset victima. Evehenda erant tormenta, sed cessante obedientia cùm nullus manum, & operam admoveret, imò quivis rideret minas & imperia, ipse Kachryman majus arripuit inclamans: si non rem tormentariam, se saltem evehere non renuerent. Factum hoc Bassæ mentem, & animum restituit furenti populo, effe-

(a) *Dogmata sunt Sectæ Mahometanæ.*

afecitq; ut munitione bellica urbs Brevî temporis spatiô spoliata fuerit.

Quanta verò consternatio, quantus dolor commovit universos, cùm vexillum Mahometanum (illud Mahometes IV. capto Camenecô in Principe Ecclesia appenderat) deponebatur. Ad triste spectaculum effudit se tota civitas, Molnæ (sacrorum sunt administri) gemebant, lachrymabantur: mulieres sparso crine, inconditis clamoribûs, gentis rigido more contempto, pessulis effractis errabundæ vicos & domos obibant: ululabat urbs tota, ac si extremam ploraret cladem: Bassa ipse, jam jam equum ascensurus, inter lachrymas fertur dixisse: mallem, ut me trucidato Camenecum periisset. Ita religione licet falsa moventur Turcæ.

Tandem optata Polonis illuxit dies XXII. Septembris Thebanæ legioni & ejus Duci D. Mauritio sacra, hucusq; Cameneco & toti Po doliæ celebris, qua Camenecensis Bassa detulit Commissariis reddendam urbem. Venit nuncius post absolutum in tentorio in cruentum sacrificium: mox per tubam signô datô, appropinquatum Cameneco. Præibant Proceres Polonos compto ordine ducenti equites armati, sequebantur Reipublicæ Commissarii aliquot centenis comitati; latera cingebant octingenti levioris armaturæ milites, cum tormentis bellicis peditum duo millia agmen claudebant. Partem dextram occupavit pompa hæc in acies disposita, miles verò Turcicus, & Palatini Valachiæ, extra portam ad clivum arcis latus sinistrum immotus tenuit.

Comparuit brevi trecentis equitibûs sociatus Kachryman Camenecensis, Imbraim Nicopoliensis, Bassa & Valachiæ Palatinus. Post brevem gentis more salutationem descensu facto ad paratum tentorium, Turcæ parte ab una cum Palatino, ab altera Reipublicæ Commissarii sedes occupârunt. Repetita salutatione unus Polonorum (nomen illius in sua Relatione prætermisit

 Il-

Illuſtriſſimus Humiecki, forte ne ſuum exprimeret) Turcas allocutus eſt. *Quidquid ad hæc tempora inter utrumq; dominium, noſtrum, veſtrumve actum eſt, id omne pax optata ſopivit. Reſtat ea, in quibus fundantur fœdera, ad effectum deducere. Ex parte noſtra omnes pactorum conditiones adimpletæ: ex veſtra, quæ diſpoſitio & facilitas? expectamus.* Reſpondit per interpretem Kachriman *irâ Dei factum eſſe, quòd ut hoſtes ſæviimus mutuis vulneribûs; ejusdem gratiâ eſt, quòd hodie furore poſito, amici pacem fœderibûs initam ipſo facto confirmamus. Præmoneo tamen Illuſtriſſimi, pacta ſacroſanctè colitè; noveritis, eos eſſe Cameneci cuniculos & aditus, ut intra aliquot horas urbe hac denuo potiri poſſimus.* Tum ad Janczaragam converſus diſpoſitionem ſuam legendam dedit: *Poteſtate, quam habeo à Cæſare meo, impero, ut claves propugnaculi Camenecenſis tradas Poloniæ Commiſſariis.* Qua perlecta, & ad ſe recepta, claves Illuſtriſſimo Kątſki Palatino Kioviæ reddidit Janczaraga. Lecta poſtmodum a Secretario Baſſæ Turcico charactere ſcripta cautio, qua libera mittitur Polonia de reſtitutis Palatino munitionibus in Valachia, totaq; ditione olim per Polonos ſubjugata, & Commiſſariis data. Ex parte quoq; Reipublicæ ſimilis ſyngrapha lecta, qua pariter libera mittitur Porta Ottomanica de reſtitutis Cameneco Podolia & Ukraina, & in manus Kachrymani conſignata. Illuſtriſſimus poſtmodum Kioviæ Palatinus annulum adamantinum Baſſæ Camenecenſi, Janczaragæ quoq; pro traditis ſibi clavibus non exiguum monile donô obtulit.

Poſt mutua tandem humanitatis officia Turcæ Chotimùm versùs, Poloni Camenecum direxerunt greſſum. Rogatus ante erat Baſſa, ut binæ portæ eſſent clauſæ, una, quæ arcem reſpicit, aperta. Ad eam ubi perventum, cuſtodiæ multiplicatæ, nemoq; civitatem ingredi permiſſus ob metum tumultûs, rapinæ, aut pyrii pulveris alicui loco ſubjecti. Pedites immiſſi cum Generali Koſzkell, tormentis & eorum Præfectis, quibus

bus injunctum, ut luſtrarent omnia, ne quid lateret doli aut periculi.

Ut Deo in Eccleſiis agerentur gratiæ, prima omnium fuit cura; ſed hæ cultui Divino ritu Eccleſiaſtico reſtituendæ erant. Chryſoſtomus Gninski Camenecenſis Præſul id in votis habuit, ſed gravi morbô cum impeditus eſſet, Dłużevio Suffraganeo Chełmenſi commiſſum Eccleſiarum negotium. Triduum integrum labor tenuit. Finitis tandem cerimoniîs, feriâ ſextâ ſolenni apparatu Camenecum ingreſſi Proceres, ad obeunda ſacra proceſſerunt: confluxit devotus populus, reſpirarunt incolæ Catholici, qui per annos XXVII. ſub jugo gemebant Turcico. Incruentum Miſſæ ſacrificium celebravit Dłużevius, & à ſacris exedris ex verbis Aggæi *Magna erit gloria iſtius domus noviſſimæ pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco iſto dabo pacem. Aggæi 2.* ſermonem fecit. Demum cum Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, perſonantibûs tubis & tormentis, Deo gratias agentium proceſſit agmen, concluſitq; devotionem Hymnus Ambroſianus, non abſq; lachrymis præ gaudio ab omnibus decantatus.

Laudibûs Deo perſolutis opera data eſt diſponendæ urbi. Scriptum ad formam decreti concinnatum, manibuſq; ſuis firmatum Kątſcio Palatino Kioviæ, generali Præfecto Podoliæ tradiderunt Commiſſarii, quo regimen Cameneci totiuſq; Podoliæ eidem commiſſum eſt. Fama de recepto Cameneco totum Orbem Chriſtianum, ſed vel maximè Poloniam in lætitiam evocavit. Immortales Deo actæ gratiæ, Auguſto II. pro vindicata Podolia laudes inſcriptæ. Lætus reſtituta Diæceſi & Sede ſua Antiſtes Chryſoſtomus, quam ob virium infirmitatem adire non potuit, ſacro apparatu adornare curavit. Obiit 1715.

XLII.

XLII.

STEPHANUS RUPNIEWSKI

AD Luceorienſem Sedem promotus *Vide L. III. pag: 390.*

XLIII.

STANISLAUS II. HOSIUS

AD Eccleſiam Poſnanienſem translatus. *Vide L. II. p. 163.*

XLIV.

AUGUSTINUS WESSELL

De Familia Biberſzteinorum.

STanislaô Macovienſi & Oſtrovienſi Præfectô, Mariâ Barbarâ de Staremberg ſupremi ſub tempus obſidionis Turcicæ Viennæ propugnatoris Filiâ genitus, Mariæ Joſephæ Sereniſſimi Conſtantini Sobieſcii Principis Regii Conſortis Frater. (*b*) Latere voluit cum ſuis natalibus in Sacro Ciſtercienſium Ordine, cujus Inſtitutum profeſſus Andrejoviæ, brevi ejuſdem loci religioſus Antiſtes modeſtia, & exemplô præivit univerſis. Virtus tanti Viri intra religioſa clauſtra teneri non potuit; poſt aſcenſum Hoſii ad Camenecenſem Sedem Auguſtus II. invitum ad Epiſcopatum Livoniæ promovit, nominationem Regiam probavit Roma.

Noverat optime Auguſtinus, quanti eſſet oneris Epiſcopalis dignitas, illi ut ſatisfaceret, Diæceſim luſtravit, exiguo licet gregi attentus Paſtor. Anno demum 1733. in Camenecenſi Sede eidem Hoſio ſucceſſit, Præſul humanitàtis probitatis & prudentiæ eximiæ, Sanctitatem, quam ſpiravit ſemper, editis aliquot libris præcipue *Myſtica Paſſionis Chriſti expoſitione* abunde demonſtravit. In humanis eſſe deſiit 1735. die XI. Februarii.

XLV.

(*b*) *Nieſiecki Tome IV.*

XLV.

FRANGISCUS KOBIELSKI

IN Luceorienſi Sede diem ultimum obiit. *Vide Lib: III. pag: 392.*

XLVI.

VENCESLAUS SIERAKOWSKI

IN Premislienſi Sede Czapſcio ſucceſſit, demum Leopolienſis Archipræſul *Vide L. I. p. 237.*

XLVII.

NICOLAUS V. DEMBOWSKI

De Stemmate Jelita vide p. 10.

FLoriani Judicis TerreſtrisPlocenſis & Evæ Ciechanowiecka Filius. Juventutem optimis moribûs & litteris excultam ſacro Ordini applicuit, & in illo eminere fecit. Miechovienſis Præpoſitus ex Supremo Regni Notario Camenecenſis Præſul, 1743. die XXIX. Junii Principibus Apoſtolorum ſacra, Cathedrali Camenecenſi templô celebri & primaria, ſolenni apparatu Camenecum & ſuam Eccleſiam ingreſſus eſt, priuſquam aliquot Chriſto datæ fidei deſertores, & ad Mahometem Apoſtatas, Eccleſiæ Romanæ reſtituiſſet. Tynnam (bona ſunt Humiecciorum) miraculoſa effigiæ Deiparæ Virginis commendatam viſitavit, & parœciam loci in meliorem ordinem diſpoſuit. Miechovienſis Canonicorum Regularium SS. Sepulchri Eccleſia ab igne in ſuis ædificiis & ornamentis in favillam redacta, liberalem hujus Præſulis manum experta eſt: Cathedrale verò Camenecenſe templum præfert ejus munificentiam, ab illo reſtauratum & adornatum.

Nec Patriæ ſancitis defuit, illorum ubiq; Tutor & defenſor; caverat ſuis legibus Reſpublica, ut Came-

mecum

necum, præcipuum contra Turcas Poloniæ propugnaculum à perfida Judæorum gente esset liberum; sed subditorum licentiâ violantur quandoq; Regnorum statuta. Leges istæ ut essent in integro, Nicolaus effecit. Judæos Camenecô & ex tota vicinia exesse jussit, illisq; ne unquam pateret aditus, sanxit & decrevit.

Gens eadem, quæ Russiæ oppida possedit, & pagis ipsis domestica est, ab annis aliquot secum discrepans de suis ritibus altercari cæpit. Talmut librum damnabant alii, alii defendebant: primi Antitalmutistæ, secundi Talmutistæ dicti. Et quia posteriores numerô & opibûs potentes suos adversarios extra Synagogas fecerunt, tanquam variis sceleribus obnoxios, ea injuria læsi Antitalmutistæ; de illa 1756. die Lunæ II. Mensis Augusti coram actis curiæ hujus Præsulis questi sunt, in qua querimonia suam fidem, Talmutistarum perfidiam exposuerunt.

I. Nos credimus, quidquid Deus in veteri testamento præcepit credere & docuit. II. Sacra scriptura ab homine non potest ad litteram explicari sine gratia Dei. III. Talmut rejiciendus, uti plenus inauditâ in Deum blasphemiâ. IV. Est Deus unus & solus Creator omnium rerum. V. Idem Deus Trinus in Personis, quæ Personæ secundum Divinitatem sunt individuæ. VI. Possibile est assumere Deum carnem humanam, & passionibus præter peccatum subjici VII. Jerusalem juxta Prophetas non reædificabitur. VIII. Messias in scripturis promissus jam non veniet. IX. Ipse Deus solvet maledictionem latam in primos Parentes & genus eorum, & hic verus Messias incarnatus.

Hæc sua dogmata variis locis Sacræ Scripturæ probata & explicata, & adversariorum errores ut manifeste deducerent, patrocinium & judicium hujus Antistitis supplices impetrârunt. Causa hæc sæpius agitata, inquisitiones expeditæ. Tandem 1757. in Octobri, paucis Talmutistis comparentibûs, eo exitu terminata est: Cum patuit librum Talmut blasphemiis in Deum, variis veneficiis ac præstigiis in Christianos plenum esse, impium opus sententiâ Nicolai ad rogum publicum damnatum est: quod decretum Præsulis, Urbis Camenecensis Magistratus per carnificem executioni dedit. Sanxit præterea idem Antistes, ut nemo Judæorum in Diæcesi Camenecensi prædictum librum conservare, & Talmutista vocari præsumeret. Prohibuit insuper sub censuris Ecclesiasticis ipso facto incurrendis, ut nullus ad sacra celebranda re quapiam à Judæis emptâ uteretur.

Præsulem de Patria, & Religione adeò meritum Augustus III. post obitum Wyżycki ad Metropolitanam Leopoliensem Sedem promovit, confirmationem paravit Roma, sed ascensum mors impedivit. Obiit 1757. die XVII. Nôvembris: diê inquam, hac, quæ & Serenissimam Mariam Josepham Reginam Poloniæ immortali memoriâ dignam fatô deplorandô Dresnæ in Saxonia humanis exemit.

XLVIII.

ADAMUS II. KRASINSKI

De Stemmate Slepowron

Solea est in campo cæruleo erecta, cruce insignita, cruci insistit corvus aureum annulum rostrô tenens alis ad volandum elevatis.

Domus in suis primordiis, favoribûs Conradi aliorumq; Ducum Masoviæ enutrita, Castellanis, Palatinis curulibus, plurium Palatinatuum Terrarumq; Officiis & Magistratibus, ærarii Regni supremâ præfecturâ, Pontificiis tiaris, aliisq; dignitatibûs excelsa: si verò sangvinis nexum spectes, ultra Poloniam diffusa; heroicis virtutibûs, meritis in Patriam & Religionem insignis, hunc Adamum Mathia Pincerna Stężycensi & Sołtykowna Matre Orbi genuit anno 1714. die IV. Aprilis.

Pri-

Primam ætatem & ingenuam indolem cùm optimis moribûs & litteris excoluisset, inclytæ Familiæ & plurimorum desideriis parabatur ad maximos honores in profana Republica. Sed qui res sacras continua volvebat mente, relictô aliis ejusmodi desideriô, ut Religioni & Patriæ prodesset melius, ad Ordinem Ecclesiasticum adjecit animum; utq; sacerrimis institutis & optimarum rerum notitiâ indolem imbueret, Romam perrexit, Italiam, Lotharingiam, Galliam, aliasq; Orbis Provincias lustravit. Acceperunt lætô animô reducem Canonicorum cætus: Lanciciensis Plocensis & Gnesnensis. Justitiæ Polonæ Sacrarium Judicem & brevi Præsidem adoravit: Augustus verò III. Supremum Regni Secretarium voluit, & ad Sedem Camenecensem promovit. Nominationi tanti Regis oraculô Romanô Clemens XIII. subscripsit.

Magnis desideriis expetitum Præsulem fovet Podolia, Diæcesis, & grex integer amat Pastorem, Senatorem colit Respublica, universi ad maximas in Patria & Ecclesia dignitates votis atollunt, & præstolantur.

CAPUT SEPTIMUM
De Episcopatu Livoniæ.

Livonia à quo suum nomen sortita est, controvertunt Historici. *Gvagninus in Descript: Lithvaniæ.* Erasmi Stellæ secutus sensum scribit: Lotihalos, sive Lithvanos, qui nunc Livones post Germanorum ingressum Latinis dicuntur, à Lithvone Vendenuti Regis Prussiæ Filio cum Lithvania pariter nomen traxisse. Aliqui putant: ut *Cromerus*, quem *Naramowski Lib: I. C. VIII. in Facie Rerum Sarmat:* refert: quod Dux profugorum ex Italia Libo dictus, cùm in has oras venisset, denominationem & fluvio Liba, & Libonibus seu Livonibus indiderit. *Sarnicki de situ & ambitu Livoniæ*

asserit: Libam adventu Libonis navarchi Pompeji inclaruisse. Sed hunc sensum refellit *Koialowicz Hist: Lithv: P. I. L. I.* & ut Lithvaniæ, sic Livoniæ nomen ... tionem, ait, Italorum has in partes adventu antiquiorem esse. *Sarnicki quoq; de situ & ambitu veteris Sarmatiæ* tractans, adducit Josephum Meletium, qui in Venetorum editione Ptolomæi, in tabula nona Europæ de Scandia Insula *Hæ* inquit *regiones, id est Prussia, Livonia, Lithvania &c. in tabula Sarmatiæ Europeæ ab antiquis numerabantur.* Jacobus Schotte in Historia de Livonia *Si accuratius* ait *rem inspicere voluerimus, fateri cogimur, quòd à suis Regibus & inhabitatoribus, qui Livones dicti sunt, hoc nomen terra hæc acceperit.* Sarnicki loco superius citato, Rigenses in Livonia asserit à Rugiis suam traxisse originem, oramq; Rigensem fuisse illorum coloniam.

Gens hæc in suis primordiis superstitiosa, præter cultum dæmonum, abundabat mulieribûs sagis, & licet esset miserrima, supra modum tamen erat callida atrox & ad cædes prompta. Nunc primùm Meinhardus vitæ pietate insignis, juxta *Gvagninum* anno 1200, juxta *Dlugossium L. IV.* anno 1091, juxta *Cromerum Lib. VII.* ante annum 1205. juxta *Harnocht in Chronico Prussiæ L. III. Animadversione ad Cap: XXVIII.* anno 1170. in Livoniam cum nonnullis institoribus penetravit, Christiq; fidem promulgare cæpit.

Hunc primum Livoniæ Apostolum varii Religiosi Ordines sibi vendicant. Cisterciensium Ordo suo Instituto eundem atrribuit: allegat suæ Religionis monologium: *In Livonia S. Meinhardus Episcopus, Monachus Cisterciensis, vir multæ Religionis, à quibusdam mercatoribus in Livoniam invectus, ut populis illis fidem Christianam nunciaret, post multos perpessos labores, & innumera patrata miracula migravit ad Dominum. Henriquez* tamen *in Fasciculo Ord: Cisterciensium L. II. C. X.* Hunc Meinhardum dicit, fuisse Sacerdotem Lubecæ; idem habet

bet *Guagninus*, sed cujus professionis? subticuit. Alii,
ut *Harnocht* locô superiùs citatô: & *Nakielski fol: 74.*
Sigebergensem Canonicum afferunt. *Bzovius sub anno*
1215: adscribit illum Ordini Prædicatorum; sed Inno-
centius III. anno 1199. suis litteris (ut habet *Rainal-*
dus) conversam jam Livoniam patrocinio Ducum Sa-
xoniæ commendat. Habentur & litteræ Cælestini III.
anno 1193. V. Calendas Maji datæ ad hunc Meinhar-
dum Livoniæ Episcopum. Porro, longe posteriori
tempore D. Dominicus suum Ordinem instituit. *Vide*
Rainaldum sub anno 1216. & Platinam in vita Honorii
III. Cujuscunq, fuerit Instituti Meinhardus, primus
fidem Catholicam Livoniæ intulit & ab Archiepisco-
po Bremensi in primum ejusdem Provinciæ Præsulem
consecratus, Bremensi Metropoli annexus est.

Augebatur in dies credentium numerus, qui ut
in omni pietate instituerentur, pluribûs Episcopis opus
erat: ea in re supplicatum Honorio III, quare mandatô
ejusdem Pontificis, Andreas Lundensis Archiepisco-
pus tres Episcopatus. Lealensem, Vironensem, & Re-
valiensem instituit: (alii Episcopatus postmodum e-
recti) quos cùm novi Equites occupâssent, Gregorius
IX. anno 1236. Vilhelmo Mutinensi suo Legato in
mandatis dedit, ut eos ab Ordine repeteret. *Rainaldus.*

Ab initiis Religionis Christianæ Provincia hæc
regebatur ab Antistite Livoniæ, cui cùm Equites de
militia Christi nuncupati essent molesti, Innocentius
III. suâ epistolâ 1215. eos admonuit, ne ob terrenas
opes Episcopo obsisterent magno fidei detrimentô.
Rainaldus, qui eodem anno meminit Rigensis Episco-
pi, sed nomen illius prætermisit. Et quamvis Ordo hic
Equitum à Gregorio IX. anno 1237. adjunctus esset
Ordini Teutonicorum in Prussia, tamen idem Pontifex
per suum diploma anno hoc Viterbii II. Idus Maji,
Pontificatus anno XI datum statuit: *Ut Fratres Hospi-*
talis S. MARIÆ Teutonicorum, qui pro tempore fuerint
ist

in Livonia, sicut hactenus, sub diœcesanorum, & aliorum
Prælatorum suorum jurisdictione consistant. Rainaldus.

Magistri Ordinis Livoniensium ab hoc tempore
subjecti erant Magistro Ordinis Teutonici in Prussia,
usq; ad Albertum Marchionem Brandeburgicum, qui
supremum dominium Polonorum excussurus, ne in
nervo rerum gerendarum deficeret, acceptâ à Valtero
Plettenbergo Magistro Livoniæ Provinciali certâ pe-
cuniæ summâ, Fratres Livonicos plenè ab imperio Or-
dinis Teutonici in Prussia 1513. fecit liberos. *Guagni-*
nus. Hist: Pruss: Lib. VII. Harnocht P. III. Chron: Pruss:
Animadvers: ad C. XXVIII.

Provincia hæc licet longè posteriori tempore (ut
infra patebit) in clientelam & patrocinium Poloniæ
cesserit, seriem tamen Præsulum à Meinhardo, & Ar-
chiepiscoporum Rigensium propono.

ORDO & VITÆ
EPISCOPORUM LIVONIÆ
Demum
ARCHIEPISCOPORUM RIGENSIUM
I.
B. MEINHARDUS

PRimus, ut dictum, Apostolus Livoniæ. Hic cum
quibusdam institoribus in Livoniam trajecit, &
conspiciens nullos extare operarios, qui superstitiosæ
genti Christum annunciarent, unius famuli convictu
contentus, ætatem ibi transigere constituit, casamq; ex
arbustis ad arcendos imbres construxit. Hominum
deinde familiaritatem captare & ignoto peregrinæ gen-
tis sermoni cæpit assvescere: quo labore simul & tæ-
diô superatô, habitâ jam mutui convictûs & contractæ
P
noti-

notitiæ cum incolis opportunitate, Religionis & rerum divinarum eos admonuit, sensimq; a vano idolorum cultu ad Christianæ fidei observantiam adduxit: nec multo post a Bremensi Archiepiscopo in Præsulem Livoniæ consecratus est. Rebus sic cæptis magnum addidit momentum Vir primæ notæ in Livonia, Cobbe dictus, quem cum tota familia Christo lucratus est Meinhardus, authorq; fuit prædicto Dynastæ, ut binas Ecclesias Uxculi & Kirholmi erexerit.

Interea, dum Præsul auget Christianorum numerum, Lithvani cum Russis irruptione facta in Livoniam, Provinciam non postrema vastitate afflixerunt. Ad eam populi cladem ingemuit Meinhardus, induxitq; Livones ad erigendas operâ Germanorum arces Uxkul, Dala, & Kirholmum ad Dunæ littora, quæ essent & præsidium Provinciæ, & hominibus refugium. In societatem laboris Apostolici plures Bremâ accivit operarios, pluresq; Germanos milites, hi ut populum in re militari exercerent, illi ut doctrina, & exemplô vitæ in omni pietate erudirent. Tandem ætate & solicitudine continua fractas vires deposuit.

II.

BARTHOLDUS à LOHAU

DE obitu Meinhardi ubi certa fama pervenit Bremam, Hartvicus Archiepiscopus annô 1196 hunc Bartholdum Cisterciensium Religiosum Lucæ Antistitem in Præsulem Livoniæ consecravit, & in Provinciam ad capessendum regimen in comitatu Germanorum expedivit. Novus Episcopus primam adjecit curam, ut suus cultus esset Ecclesiis, quare ad dedicandam ædem sacram Dalensem, Pastoralem admovit manum. Vix opus inchoavit, cùm veræ Religionis hostes, ut in officio Præsulem impedirent, turmatim accurrunt, & in Antistitem ac Germanos armati irruant; quid virtus licet in numero exiguo valeat? appa-

ruit; magnâ suorum clade rejecti barbari, temeritatem multo expiârunt sangvine, non tamen animum nocendi, ac vindictam deposuere. Brevi ut majoribûs viribûs pugnam restaurarent, æque feroces finitimas gentes in armorum societatem evocârunt.

Ad Kokenhausum pugnatum: & licet Christiani illum Cobbe a Meinhardo conversum, non postremum copiarum robur, amisissent, superiores tamen virtute bellica adversas cohortes profligârunt. Terruit infideles iniqua sors prælii repetita, itaq; melius sapere edocti, ut in fide essent Præsulis, supplices postulârunt. Dedit aurem pronam precibus religiosus Antistes, & ad pacem, Christumq; colendum omnes adhortatus, ut prolem suam, tanquam vades Christianis concederent, exigebat: verum ad id adduci non poterant; sed omni fidelitate promissâ, moreq; gentis firmatâ, in signum amicitiæ initæ, hastas cum Germanis commutârunt.

Suspecta equidem erat Bartholdo ea pacis cerimonia, hæcq; armorum commutatio renovandum conflictum portendere videbatur. Sed, cùm assentiente Pontifice Romano, illi, qui fidem suam liberandæ Hierosolimæ obstrinxerant, afflicto Christianorum in Livonia gregi in suppetias venissent, armorum accessione securior Antistes, fundamenta, & mænia urbis novæ, quæ Riga dicta est, inchoavit, promovebatq; fabricam magnô studiô. Interea Ethnici ad genium reversi, ut civitatis incrementa impedirent, magnîs & occultis itineribûs in Christianos minus paratos irruêre. Operi & insultui hostium præsens Bartholdus, ad rem fortiter agendam dum suos hortatur; cæsus corruit: sive, ut scribit *Guagninus* equi impetu in medias hostium phalanges abreptus, telis confossus est circa annum 1197.

III.

ALBERTUS I. de BUXHOV

EX Canonico Bremensi Antistes Livoniæ institutus,
multa egit pro bono Ecclesiæ, & totius Provinciæ.
Reperit illam a barbaris fæde vastatam, quare ut fre-
quentes eorum irruptiones coërceret, de consiliô Ger-
manorum Equitum, qui tum cum Lubecensibus mer-
catoribus opportune supervenerant, novum Ordinem
de militia Christi instituit, formà vivendi ex instituto
Cistercienfium illis præscriptà, superaddidit & votum,
ut omnes, qui eam militiam professi essent, in castitate
viverent, & pro dilatanda re Catholica cum infidelibus
decertarent: vestitum quoq; assignavit coloris albi
cum nigro pallio, in quo bini enses in formam crucis
expressi essent: unde equites hi alio nomine Ensiferi
dicti sunt. Eorum institutum Cælestinus III. confir-
masse scribitur. Primus horum Equitum Vinno de
Rhorbach Magister creatus est. *Dlugossius L. VI.* scri-
bit equites hos gladium, & desuper crucem mantello
insutam, ceu Ordinis insigne gestasse.

Accinxit se postmodum Rigæ urbi perficiendæ,
quam 1202. contra omnes hostium insultus munivit,
& ea super re, ac regionibus Livoniæ, tanquam feudo
Imperii, à Henrico V. Imperatore privilegium obti-
nuit: quo & ipse, Princeps Romani Imperii cum pleno
jure, ac potestate monetæ cudendæ creatus est. (a) E-
rexit postea in eadem Civitate Ecclesiam, Episcopa-
tûs Sedem cum Canonicorum Collegio, eamq; 1206.
solenni ritu dedicavit. Insuper Dummundam arcem
ad Dunæ ostia, Derpatum urbem condidit, ubi Sedem
Episcopi annuente Romano Pontifice posuit. Lealen-
sem vero Parnavam transtulit. Eam bonorum per sta-
tum Ecclesiasticum possessionem ægre ferebat Volqui-
nus

(a) *Historia Livoniæ per Joannem Augustum Hilzen Castellanum Livoniæ typis Vilnensibus edita.*

nus Schenken, qui occiso Vinnoni Magistro in officio
successerat, jamq; palam erumpebat gliscens animo-
rum offensio: interea Mutinensis Episcopus Honorii
III. Legatus opportune 1225. supervenit, & tam fa-
cultates, quam jurisdictionem singulorum authoritate
Apostolicæ definivit. Obiit Albertus plenus merito-
rum 1228. Rigæ sepulturam nactus.

IV.

NICOLAUS

CAnonicorum Rigensium cætus ab Alberto institu-
tus, in suis primordiis in eos viros crevit, ut non
aliunde quæsitos, sed è medio sui electos ad Diæcesis
regimen idoneos habuerit; quare licet ab Archiepi-
scopo Bremensi post obitum Alberti, Albertus de Sa-
verbeer ad Sedem hanc consecratus esset, huic Nico-
lao electo cedere debuit, qui ut jus eligendi Præsules
Rigensibus Canonicis firmius fecisset, ejus confirma-
tionem à Sede Apostolica obtinuit.

Initia quidem minus prospera expertus est: Li-
vones Curonibus (populus Curlandiæ) juncti, Rigam
& in illa Antistitem aggressi, feroci pertinaciâ oppu-
gnabant. Domuit utrosq; gladiô, & Livones ad offici-
um reduxit, Curlandiam quoq; paternâ solicitudine,
& operâ Monachi Aluensis, Pænitentiarii Ottonis Car-
dinalis, Sedis Apostolicæ Legati (b) Christianam fe-
cit, novumq; Christi gregem Præsuli Piltinensi pare-
re docuit. Quam Provinciam Innocentius IV. per
Vilhelmum Sabinensem Episcopum 1245. (ut scribit
Rainaldus) inter equites & Præsules divisit. Ut plu-
res laboris socios haberet, Rigæ PP. Ord: Min: de
Observantia fundavit: arcem præterea Kreutzburg
condidit. Obiit 1233.

(b) *Rainaldus sub anno 1232.*

V.

ALBERTUS II. de SAVERBEER

I.

ARCHIEPISCOPUS RIGENSIS

QUi à Sede Rigensi per electionem Nicolai exclusus fuerat, post ejus obitum omnium Canonicorum votô ad eandem invitatus est. Et sane afflictis temporibus, quæ totam Livoniam non uno infortuniô involvebant, magis providus & efficax Præsul dari non poterat. Lithvania, Russia continuis incursionibûs Ensiferis molesta, Valdemarus Rex Daniæ Estoniam vindicans, Livones ipsi dominii & primæ libertatis amore in perniciem Ordinis & Præsulum conspirârunt. In eo rerum statu Præsules & Ensiferos convocavit Albertus: non uno congressu negotium agitatum, tandem conclusum, ut Livoniensis Ordo cum Ordine Teutonico, qui in Prussia inclaruerat, in unum corpus coalesceret.

Itaq; consiliorum & Provinciæ Princeps Albertus splendidam legationem in Prussiam adornat, societatem armorum & Instituti postulans ad defendendam Livoniam. Omni humanitatis genere accepit Oratores Hermannus de Saltza Crucigerorum Magister, sed quia rem egere deliberatione judicavit, Ehrenfridum Menburgum, & Arnoldum Saxonem, hunc Nagelstetensem, illum Altemburgensem, Commendatores misit in Livoniam, qui statum & proventus Ensiferorum explorarent: ipse interim negotiorum quorundam causâ ad Summum Pontificem & Imperatorem excurrit: commisit tamen Ludovico Ottingensi, cui supremam rerum potestatem detulit, ut si adessent Legati ex Livonia, id ex consiliô Fratrum cum illis statueret quod optimum & æquum arbitraretur.

Ma-

Magnis tandem itineribûs, multisq; periculis & difficultatibûs superatis, cum Crucigeris Ensiferi Livonienses: Raimundus Commendator, Vendensis, & Joannes Mechtenburgus, in Prussiam penetrârunt. Ottingensis, ut in mandatis habuit, Ordinem congregavit, relationem a suis, postulata à Livonibus accepit, sed plurium judiciô res integra ad adventum ipsius Hermanni dilata est. Brevi hic supervenit, pleneq; de negotio Livoniæ informatus, cum iisdem Nunciis Livoniensium ad Gregorium IX. profectus est, à quo solenni ritu votis suis soluti Ensiferi Ordini Crucigerorum aggregati: & quia non ita pridem Volquinus Magister Livoniensis in cruento cum Lithvanis prælio cum pluribus Equitibus occubuit, in primum Livoniæ Provincialem ex Ordine Crucigerorum Hermannus Balck renunciatus est. *Hist: Pruss: L. II. Rainaldus sub anno 1237 vide p. 224.*

Teutonicorum viribus juncti Ensiferi cum Lithvanis Samogitis, eorumq; Duce Mendogo variô pugnârunt Marte. Princeps hic armis Crucigerorum mitiora edoctus ad fidem Christi mentem adjecerat, eamq; Comiti Andreæ de Sztaurland IV. Ordinis in Livonia Magistro exposuit cum desiderio Regiæ pro Lithvania coronæ. Intentionibus tanti Ducis Romæ detulit, & per Henricum Armacanum Culmensem Præsulem Regia insignia in Livoniam transmisit. Huic solenni actui dies condicta, ad quam adornandam in Equitum comitatu Albertus Rigensis Præsul cum Henrico & aliis Præsulibus Livoniæ perrexit in Lithvaniam, sacrôq; lavacrô ablutum Mendogum in Regem Lithvanorum unxit. *Vide L. II. p. 166.*

Primus hic Præsulum Archiepiscopale pallium apud Alexandrum IV. obtinuit 1255 cum privilegio, quo Rigensis Ecclesia ad dignitatem Metropolitanam evecta est (c) & ne in Livonia duntaxat emineret,

P 4 inter

(c) *Rainaldus sub anno 1255.*

inter Purpuratos Romanæ Ecclesiæ Patres adlectus est. Obiit 1272.

II.

JOANNES I. de LUHNEN

CUrlandiam & Livoniam optimis legibus circumscripsit, ad quas vitæ suæ exemplum addidit. Condidit plures Ecclesias, eisq; apparatum, dotem, & vel maxime bonos providit Rectores. Ut cultam in scientiis Provinciam faceret, scholas Rigæ aperuit. Remburgi urbis prima jecit fundamenta, cui operi immortuus est 1286.

III.

JOANNES II. de FECHTEN

VIx regere cæpit, infausta quæque expertus est. Teutonici Ordinis Magister, qui præsidio esse debuit, in ejus & aliorum Præsulum perniciem conspiravit, utq; totam Livoniam & alias Provincias solus regeret, Antistiti bellum intulit. Feroci Crucigero opposuit Joannes arma, & Vitenem Ducem Lithvaniæ in societatem adscivit. His copiis vicit quidem hostem, sed non domuit, obiit brevi partâ victoriâ.

IV.

JOANNES III. de SCHVERIN

NOvus Magister Hermannus de Bruno ut jus in Præsules haberet, electionem Pontificum usurpabat. Rigenses Canonici ne in privilegiis suis succumbere viderentur, insciô Magistrô hunc Comitem vacanti præfecerunt Sedi anno 1296. Eam vix adiit Joannes, Crucigerorum malitiâ deserere coactus est. Ordo statui sacro inimicus, clade suâ ferocior, ut Rigenses Archiepiscopos non præesse, sed parere docuisset, majoribus viribus hunc Comitem aggressus est. Arma, quæ col-

colligere potuit Archi Præsul, evocatô etiam in auxilium Vitene Lithvaniæ Duce opposuit Magistro, sed victus Rigam amisit, quam Ordo juris sui fecit. Cessit iniquæ sorti Antistes, & Romam perrexit, detulitq; ferociam Teutonicorum, ac injurias totius Provinciæ, præsertim Præsulum abunde exposuit: sed præter solatium, nullum rebus afflictis accepit præsidium.

Scripsit equidem Bonifacius, ut Equites vi occupata Ecclesiæ restituerent; sed hi bellô parta sibi juste deberi putabant, quævis etiam injuste rapta ferrô parati defendere. Quare extra Diæcesim Antistes, Pastor extra gregem Romæ obiit. 1300. *Dlugossius L. VIII.* sub anno 1299 scribit hunc Comitem & ejus Prædecessorem à Crucigeris captum, & sub custodia detentum fuisse.

V.

ISAURUS

INter Ordinem & Capitulum Rigense magna contentio de novo Antistite orta est; ejus electionem tanquam juris sui exigebant Crucigeri, Canonici ut sibi debitam vendicabant. Discordiam ejusmodi sopivit Bonifacius VIII. & proprio motu hunc Isaurum Rigensi præfecit Ecclesiæ. Unius anni Præsul in Daniam abiit, & in Patria Archiepiscopus Lundensis electus, Rigensem Metropolim odiorum & controversiarum formitem deseruit.

VI.

FRIDERICUS BARO

ISauro in Archiepiscopatu successit 1302. sed sola dignitate contentus, Romano Præsuli Avenione in Gallia semper præsens, longam ætatem ibidem deposuit 1340. mortuus.

VII.

VII.

ENGELBERTUS de DAHLEN

EX Derpatensi Præsule Archiepiscopus Rigensis, Rigæ fundata jurisdictione ivit Avenionem Summo Pontifici supplex pro sua Ecclesia, sed operi ibidem immortuus 1347.

VIII.

FROMOLDUS de TIFFUSEN

NEgotium Rigæ fortiter promovit in curia Romani Pontificis, & obtinuit; per decretum Urbani V. in suam possessionem recepit urbem, quam Duna fluvius ripas prætergressus magna vastitate affecit. Ecclesiæ dirutæ, hominum pars magna absumpta brevi fata causarunt mæsto Antistiti.

IX.

SIPHERDUS à BLOMBERGK

ANno 1369. institutus Archipræsul, in primordiis incurrit odia Magistri & totius Ordinis. Restitutam Rigam Antistiti dolebant Teutonici, quare armis vindicandam contenderunt. Pro urbe ab utraque parte pugnatum: sed infaustam belli aleam expertus Sipherdus, aciem amisit. Victores Crucigeri profligato Archiepiscopi exercitu in Curlandiam & Semigalliam sævierunt: diripuerunt omnia, universa solo æquârunt. Ploravit Antistes iniquam sui & populi hujus sortem, & quia præsens levare non potuit, Avenionem ad Summum Pontificem properavit, ubi curas Provinciæ cum vita deposuit.

X.

JOANNES IV. de ZITTEN

ANnus 1373. regimen Rigensis Ecclesiæ huic Joanni

ni detulit: qui dum illius facultates repeteret, à Crucigeris ejectus, Romam properavit suas & aliorum Præsulum injurias supremæ Sedi delaturus. Suam temeritatem ut aliquo titulô cohonestarent Crucigeri, Rigæ Ordini adjudicandæ privilegium apud Bonifacium IX. impetrârunt. (d) Initô præterea consiliô cum Magistro Prussiæ, ad sopiendas discordias inter Ordinem & statum Ecclesiasticum, Præsules in Prussia & Livonia ex Ordine instituendos postulabant: Religionis (ut ajebant) commodum, Teutonicorum in utraq; Provincia non postrema potentia omnia obtinuit. Joanni de Zitten in Archiepiscopatu Rigensi Bonifacius Joannem de Valenrode professione Crucigerum substituit, illi verò titulum Patriarchæ detulit. Amissi causâ abiit Româ Joannes, & in itinere obiit. 1392. *Niesiecki Tomo I.* scribit Joannem Lithvaniæ Patriarcham creatum.

XI.

JOANNES V. de VALENRODE

JOannem de Zitten SedeRigensi motum doluit Diæcesana nobilitas, quare novo Archipræsuli parere renuit, nec ab illo jura sua confirmari voluit. Pro potestate egit Valenrode, & ope Crucigerorum bona plurium nobilium ac arces mensæ Episcopali applicuit. (e) Magistri, totiusq; Ordinis magnos favores meruit, quorum promotione S. R. E. Cardinalis factus, 1414. in optimo comitatu ivit ad Concilium Constantiense: & ut erat ore ac dexteritate efficax, Hussum cum aliis Patribus ad rogum damnavit. Redux Constantiâ, in Germania ultimum diem obiit. Meminit illius *Hist: Pruss. L. IV.* sed Vollenradum nominat.

XII

(d) *Dlugossius L. X. sub anno 1398.* (e) *Joannes Hilsen in Hist: Livoniæ.*

XII.

JOANNES VI. HARBUNDI

PRomoventibûs Crucigeris Archipræsul Rigensis 1418. institutus, plura sustinere maluit, quam cum potenti Ordine contendere: & dum sibi & gregi attenderet, ordinatam fecit Diæcesim. Interea res bene cæptas interturbavit lues pestifera, quæ totam fere infecit Livoniam. noluit suis deesse Antistes, & dum obsequiô salutari præit cæteris, cecidit charitatis victima.

XIII.

HENNINGUS SCARPENBERG

EX Præposito Rigensi 1428. Archipræsul, Prædecessorum suorum malis edoctus, jura Magistri & Ordinis confirmavit, suaq; in integro conservavit. Cum pacifice Diæcesim administraret, Lemseliam, Perbalgam condidit, Remburgum turri adornavit. Meditabatur plura, sed conatus optimos commune omnibus fatum impedivit. Exuit mortalitatem 1442. Rigæ sepultus.

XIV.

SYLVESTER

MAgistri Ordinis Cancellarius, gratias, quas antea meruit, Archipræsul amisit; Livonienses Equites inimicos & hostes expertus. Dissensionum origo Riga, ejusq; jurisdictio, cùm illam & Archipræsul, & Magister Joannes de Mengden vendicaret; in tantumq; ea crevit controversia, ut armis decisâ fuerit; profligato Archiepiscopi exercitu ac Rigâ intercepta, arcem Kokenhaus cum Antistite obsidione cinxit Magister, & expugnavit: in eaq; captivum Sylvestrum tenuit, demum propinatô venenô e vivis sustulit 1479.

Nec

Nec satis habuit Magister ærumnis affecisse Archipræsulem, ut toti Livoniæ injuriosus esset, Annales Provinciæ, privilegia Pontificum & Cæsarum ac rerum gestarum tabularium igne consumpsit.

XV.

STEPHANUS de GRUHEN

CUm Romæ tractaret negotia Livoniensium, Diæcesim Rigensem regendam accepit à Sixto IV. Eam dispositionem Romanam ægre tulit Magister Bernardus de Borh, scripsitq; novo Archipræsuli, ne ad apprehendendam possessionem venire præsumeret. Contempsit minas Stephanus, & occultis viis Rigam ingressus, à Clero & Capitulo honore Præsuli suo debitô susceptus est. Eo Stephani progressu offensus Bernardus, dirô probrô fecit exulem. De mandato illius Equites, qui tum Rigæ manebant, interceptum Archiepiscopum, velatis oculis, facie tenus ad spinam equi alligatum, caudamq; manu prehendere jussum urbe expulerunt.

Ad tantum facinus exhorruit civitas, & lachrymis extorrem Præsulem comitata est. Indoluêre Viri contumeliæ Pastoris: Diæcesis integra in armis stetit, & impium in Archipæsulem ausum ferrô vindicavit. Equites Rigâ ejecti, palatium Magistri solo æquatum, in bona mutuis incursionibûs sævitum. Indoluit & Roma, Magistrumq; ac facti complices Diris devovit. Promulgatæ a sacris exedris in Bernardum pænæ publicum Ordinis exciverunt conventum: Ab omnibus exprobrata Magistro impietas, & ne pro tanto scelere totus traduceretur Ordo, regimine & officiô privârunt Bernardum, illudq; Joanni Freitaco de Loringoff detulére. (*f*) Ignominiæ non diu supervixit & Stephanus; ejus vehementiâ contabuit.

XVI

(*f*) *Hilzen in Hist: Livonia.*

XVI.

MICHAEL HILDEBRANDI

MUtatô Ordinis Magiſtrô altam rerum faciem in Ecclesia Rigenſi reperit Michaël 1487. in Archipræſulem conſecratus. Rediit ſua reverentia Præſulibus, templis decor, Provinciæ felicitas curâ Antiſtitis, & ſolicitudine modeſti Magiſtri Joanni Freitaco in ſupremo equitũ magiſtratu ſucceſſit 1495. Hermannus Valter Plettenbergus. Hic ut injurias Provinciæ ſuæ per Moſchos illatas vindicaret, ſtatuit hoſtem in propriis ditionibus adoriri.

Annus 1500. à partu Virginis volvebatur, quo toti Livoniæ pro felici armorum ſucceſſu per Præſules jejuniis & precibûs indictis, Deo ſupplicatum eſt. Tanto molimini idoneæ lectæ copiæ, non tam numerô, quàm virtute validæ: quibus Archiepiſcopus mille Equites, ſinguli Præſules quingentos adjunxerunt. Duodecem millia in armis comparuère, cum quibus in Ruſſiam Moſchoviticam movit Magiſter, & temporis opportunitate uſus, obviis quibuſvis deletis magnam ſtragem ditionibus Moſchi intulit, exercitumq; urbi Pskow dictæ admovit. Civitas hæc Moſchoviæ non poſtrema, ut mercimoniis clara, ſic ab arte munita, inter lacum ejuſdem nominis, & planitiem ad duas leucas protenſam ſita eſt.

Dux Moſchoviæ Baſilius Ivanovicius metuens, ne tanta civitas cederet Livonibus, ultra centum millia Moſchorum, Tartarorum triginta in aciem produxit. Ad eum numerum Livones cadebant animô; ſed Magiſter Divino fretus auxilio, ſuis ad rem ſtrenue agendam excitatis, campum hoſti obtulit, & exploſis tormentis, in Tartaros invectus, qui impetum ſuſtinere non valentes, majore parte ſuorum amiſſa pugnam deſeruerunt. His pulſis imminebant Moſchi, cum quibus

bus fatigato militi acriter decertandum erat. Ad noctem ipſam protractum prælium, nunc his nunc illis fortuna favente. Virtus tamen non numerus palmam tulit. Moſchi profligati, caſtra & ſupellex occupata, urbs direpta, vicinia tota ivit in prædam victoribus. Tanta ſuorum clades ubi innotuit Duci Moſchoviæ, lachrymas non cohibuit: ploravit militiæ robur deperditum, viriſq; maximis orbatam Moſcuam: utq; malorum ingruentium curſum ſiſteret, quinquaginta annorum inducias pepigit. *Gvagninus.*

Pro hac victoria in omnibus Eccleſiis actæ Deo ſolennes gratiæ. Michaël, ut hujus beneficii grata ſemper exiſteret memoria, diem feſtum Exaltationis S. Crucis (quo pugnatum eſt) maximo ritu cum publicis ſupplicationibus, & cantico hymni *Te Deum laudamus* annis ſingulis celebrandum inſtituit. De ſua Eccleſia & Livonia optime meritus deceſſit 1509.

XVII.

GASPAR de LUNDEN

AB armis quietem nacta Livonia feliciori rerum ſuarum ſucceſſui reſtituta eſt. Ea occaſione Gaſpar mala, quæ annis ſuperioribûs irrepſerant, emendare ſtuduit, vindicavit Eccleſias, Diæceſi luſtratâ, optimos Rectores præfecit paræciis. Annis provectus laboris ſocium & ſucceſſorem adſcivit Joannem Blankenfelt, Virum ſcientiis, rerumq; uſu commendatum, Legatum in Livonia Pontificium, Revalenſem & Dorpatenſem Epiſcopum. Deceſſit vitâ cum ea ab omnibus laude: *Fidelis juſtitiæ & pacis cuſtos.*

XVIII.

JOANNES VII. BLANKENFELT

VIx plenum 1528. Archidiæceſis regimen accepit Joannes, infauſta Religioni in Livonia ſupervenere

aere tempora; Lutheri errores, qui latè Germaniam infecerant, in Livoniam quoq; penetrârunt. Andreas Knopgen 1525. ex Pomerania ab Erasmo Manteufel Episcopo Caminensi ob perversam doctrinam exulare jussus, germani sui Rigensis Canonici visitandi causâ Rigam venit, a fratre in Ecclesia S. Petri verba facere ad populum permissus, magno plausu a sacris exedris perorare cœpit. Eam sui existimationem nactus, virus evomuit: multis novitas, multis placuit vivendi licentia, in eamq; crevit insolentiam, ut Præsul cum nonnullis Canonicis Rigâ exesse debuerit. Malo Provinciæ indoluit Antistes, & ut seditionem coërceret, supplex auxilium ab Ordine postulavit, sed hic videbatur favere errori, dum illi credere posse arbitrabatur. Temeritatem dum cohibere nequiret, exesse Provincia & Diæcesi elegit, ivit primum Romam, demum in Hispaniam, & Torquemadæ obiit.

XIX.

THOMAS SCHONINGEN

SUum indigenam Archipræsulem nacta Riga, quem amare, & revereri debuit, contempsit. Sub Joanne multos infecit hæresis, sub hoc Thoma palam grassari cœpit, Equitibus ipsis ac Magistro eam profitentibus. Consilii inops Antistes, cum Riga omnem jurisdictionem Pontificis excussisset, ne reliqua amitteret, socium laboris & dignitatis adscivit Vilhelmum Marchionem Brandeburgicum. Ærumnis confectus Thomas mortalitatem exuit 1535.

XX.

VILHELMUS

MARCHIO BRANDEBURGICUS

ALberti Marchionis Brandeburgici, Ducis Prussiæ Frater, Sigismundi Augusti Poloniarum Regis Nepos

Nepos, ubi pleno jure Sedem Rigensem accepit regendam, non modica spes affulsit statui Ecclesiastico suas libertates vindicandi, & in tuto collocandi. Cæterum post fœdus Smalcaldense inter Principes à fide Romana dissidentes initum, cui & Rigenses accesserant, magis insolens Civitas, tumultu excitato sæviit in Religiosas ædes. Tria Virorum Riga numerabat claustra, unum, PP. Ord: Min: Conventualium, alterum PP. ejusdem Ordinis de Observantia, tertium PP. Ord: Prædicatorum, bina Virginum Deo dicatarum. Virginibus pepercit furor hæreticus, sed Religiosos Viros malè prius habitos, ædibus & urbe ejecit: flagellumq; pœnæ & contumeliæ instrumentum in memoriam nefarii flagitii in urbis prætorio appendit, mansiones verò in profanum usum convertit. (a) Nec Præsul fuit felicior: in quem Magister resumptô à temeritate animô, arma & ferociam convertit circa annum 1557. Horum malorum originem & causam assignat *Guagninus in Descript: Livoniæ. Kojalowicz Hist: Lithvanæ. P. II. L. VIII.*

Vilhelmus Furstembergius Livoniensium Equitum Magister cum universo ferè Ordine Romana Religione abjecta ad Lutheranam sectam palam descivetat. Mox ut ejusmodi sectæ ferebat ratio, animô ad occupandas opes intentô, templorum ornamenta prædari, possessiones Sacerdotum usurpare cœpit. Obsistebat Vilhelmus Rigensis Antistes sacrilegis Furstembergii conatibus. Hic verò comitiîs Vendam indictîs, reum Archiepiscopum agit initæ cum Sigismundo Augusto Rege suo affini, & germano Alberto Duce Prussiæ conspirationis, falsîsq; indiciis probat, Curlandiam Alberto, Livoniam Augusto permissam esse, ac prope perditam. Post comitia exeunte Julio, Pontificis ditiones apertô bellô aggreditur, hostilemq; in modum latè

Q va-

(a) *Hilzen in Hist: Livoniæ. Vit. Præs: Tom IIII.*

vastat. Multa erat nobilitas pro Archiepiscopo. sed is diffisus, maluit cum delecto exercitu Kokenhausum se recipere. Diu obsidio tolerata, diu oppugnatio ab arce solidæ rupi imposita est elusa: tandem quos arma non subegerunt, fames ad deditionem coëgit. Facta est deditio conditionibus non gravissimis. At Furstembergius fidei datæ & dignitatis Vilhelmi immemor, pertractum ad se à satellitibus Archipræsulem, variisq; probris affectum in carceres conjecit, ac reliquas ejus arces sacrilegis armis occupavit.

Alii ut *Neugebauer, Hist: Pruss: L. VII Levenclaius, & Hilzen in Hist: Livoniæ* non Religionem; nam testimonio *Naramowscii Lib. II. C. XX.* Marchio hic nondum Sacerdos, Fratris sui Alberti exemplum secutus Lutherum professus erat, juxta *Hilzen* favebat Lutheri erroribus, imò juxta *Piaseccium* uxorem duxerat: sed peccatum contra statum Provinciæ, videlicet, quòd contra sancitum Volmariense hic Vilhelmus alienigenam Christophorum Ducem Megapolitanum in Coadjutorem Archiepiscopatûs Rigensis adlegisset, pro vera ratione horum motuum in Livonia allegant.

Facinus in Archipræsulem commissum ubi Augusto innotuit, expedivit Gasparum Łącki in Livoniam, qui nomine Regio saniora consilia Magistro inspiraret & Vilhelmum in libertatem vindicaret. Cæterum nova hæc secta nihil juris inviolati voluit; Legatum in via interceptum trucidavit. (*b*) Successit deinde cum simili legatione Joannes Domaniewski Episcopus Samogitiæ, sed nihil ejus industria, nihil Regis authoritas apud furibundum hominem profecit. Quare læsam Majestatem, jura gentium in occiso Legato vilipensa, ac injuriam sui affinis ulturus Sigismundus, cum centum millium exercitu in Livoniam processit. Castris ad Posvoliam locatis Nicolao Radzivilio negotium datum, ut cum expeditiore agmine præiret, hostemq; infestationibûs divexaret. Furs-

(*b*) *Bielski L. V. Gornicki Paprocki.*

Furstembergius bellô sua tueri destinaverat, atq; in eum finem octo millia mercenariorum equitum, & aliquot millia peditum ex agrestibus lectorum armaverat. Non opinabatur, ut tota vi Rex eum adoriretur, suis itaq; copiis satis fidebat. Verùm à speculatoribus edoctus de Regii exercitûs magnitudine, omnem belli cogitationem abjecit: & Ferdinandi Imperatoris Legatô, qui tum in Livoniam venerat, arbitrô, pacem actorumq; veniam postulavit. Rex post tantas in apparatum belli impensas non multum in pacem inclinabat rebus suis damnosam. Nihilominus, quod victoriam innoxiorum sangvine constare necesse esset, non se ab ea alienum esse respondit Legato: si ipse præsens Magister pacem peteret, atq; Archiepiscopum vinculis solutum quam primum sisteret.

Dura conditio, sed pejora metuenti toleranda visa est. Cum trecentis itaq; ex Equestri Ordine Magister ad Regem venit: ac fœdus his præcipuis legibûs obtinuit. Magister Livoniæ cum universa Provincia Regis imperium deinceps agnosceret: Archiepiscopum cum omni honoris testificatione suo loco ac dignitati restitueret, omniaq; damna refunderet: impensas à Rege in eam expeditionem factas ex Ordinis ærario compensaret: si Moschus contra Livoniam, aut Lithvaniam arma sumeret; utriusq; gentis viribûs bellum propulsaretur neq; alterutra sola aut inducias aut fœdera perpetua pacisceretur. Magistro præeunte in eas leges reliqui jurârunt Equites: fœderis tabulas præter Magistrum, duo à cæteris delecti: Henricus Stendich Præfectus Gondinensis, & Christophorus de Villanova Mareschalcus Provincialis subscripserunt. *Kojałowicz Par: II. L. VIII.*

Livonicis rebûs pacatis, missisq; Moscuam Legatis qui de pace cum Moschis agerent, Rex in Poloniam perrexit. Interea Ivanus Dux Moschoviæ, quod bellum in Scythas ac Svecos parare videbatur, in Livoniam

am totîs viribûs effudit, veritus fortasse, ne eam prior Augustus occuparet. Centum viginti millibus militum id bellum à Moschis gestum est, atq; magna pars Livoniæ occupata cum Felino ac Derpato. Felini ipse Furstembergius Magister captivus, in vinculis postmodum juxta *Gvagninum & Hist: Pruss: L. VII.* in Moschovia mortuus est.

In tam funesto Livoniæ casu congregati properè equites, Furstembergio in Ordinis præfectura Gothardum Ketler substituerunt. Novus Magister cùm Moschum ab armis nondum quiescere, sed alteram longe majorem irruptionem in Livoniam moliri ex certis indiciis adverteret, tantæ moli ferendæ impar, Augustum Cracoviæ convenit, obsecratq; ut ex forma recentis fœderis perclitanti Livoniæ opem ferret. Rex pertentatis Polonorum sententiis, dum eos perquam alienos ab omni Livoniæ curâ deprehendisset, Gothardum cum universo negotio in Lithvaniam remisit. Sigismundus quoq; brevi supervenit, & 1559. Vilnæ toti nobilitati comitia indixit: in quibus operâ Nicolai Radzivilii Ducis Nesvisii certîs legibûs conventum est, ut Livonia in fidem ac clientelam Sigismundi Augusti transiret. Conditiones cùm Ketlerus jurejurando firmâsset, Rex animum tuendæ Livoniæ sedulô adjecit. *Vide Koialowicz P. II. L. VIII.*

Joanni Chodkievicio & Georgio Zenovicio negotium datum, arcium Livonicarum recipiendarum, firmisq; Lithvanorum præsidiis muniendarum. Moscuam quoq; Legatus expeditus, qui Ivano deferret, Livoniam sua sponte, magnoq; Magistri ac omnium Ordinum consensu, Lithvaniæ Ducatui se se adjunxisse, atq; sub imperium Augusti libere concessisse: quare induciarum earum intuitu, quibus amicitia mutua hactenus conservata est, rogare Regem, ut Ivanus bello omni in Livonia abstineret, cum Sigismundo defendendæ Livoniæ, non minùs quam Lithvaniæ, cura jam esset imposita.

Iva-

Ivanus viribûs superbus consiliô coactô suum jus longe prius in Livoniam respondit; quare negotium non pace, sed armis componendum. Respuentibûs itaq; pacata Moschis, bellum in Livonia primo vere 1561. resumptum est. Quàm primùm per Livoniam vulgatum est, Lithvanas copias per Dunam transportari, Moschus ne apertô campô ad conflictum cogeretur, relicto milite, qui arcium præsidiis sufficeret, cum reliquo exercitu in tutum se recepit. Radzivilius datô negotiô Tyszkievicio, & Gregorio Tryzna ut expedito equitatu 5000. hostium vestigiis insisterent, ipse robur exercitùs ad Tauri arcis oppugnationem duxit: qua post viginti dierum laborem potitus est.

Livoniæ Magister Ketlerus, licet meliore spe ex felici novi fœderis successu auctus esset, non audebat tamen se integre ei, quæ præsens erat, fortunæ permittere. Nam licet auxiliis Lithvanorum ulteriores Moschi progressus posset reprimere, sed viribûs Livonicîs penitus collapsîs, inter hostes potentes Daniæ, Sveciæq; Regem, ac Moschoviæ Ducem deprehensus; à Cæsare Romanoq; Imperio desertus, non videbat, quomodo amissa à Moschis extorqueret; oræ maritimæ loca aut retineret, aut à Dano, cui pleraq; cesserant, repeteret. Quare universo Ordine, Legatisq; civitatum flagitantibûs. Augusto Regi supplicavit, ut quempiam in Livoniam destinaret, qui re e propinquo perspecta maturiùs dispiceret, quid opis Provinciæ in arcto positæ ferri expediret.

Missus est 1561. Nicolaus Radzivilius, qui Gubernatoris Regii titulô collatâ cum indigenis sententiâ rebus Livonicis provideret. Is perpensô rerum statu, institutoq; consiliô, cùm adverteret, Livoniæ defendendæ vix suffecturam Lithvaniam; svasit Livonibus: ut quibûs legibûs Lithvaniæ accessissent, iisdem Poloniæ Regno se se adjungerent: quòd ea ratione Polonæ quoq; opes in subsidium Livonum pertrahi posse viderentur.

Indi-

Indixerat anno eodem Rex Vilnam Lithvanorum comitia: in iis Magister cum aliis Legatis, quæ destinaverat, Regi ac Senatui exposuit. Verùm, quòd absentibûs Polonis nihil certi concludi poterat, res integra ad Regni publicum conventum in Polonia rejecta est. Ne verò ex mora, Livoniæ status prolaberetur, Rex promisit totas Lithvaniæ vires ad ejus conservationem, tum collaturum omnem industriam in Polonorum animis ad vota Livonum inflectendis. Hac Augusti benevolentiâ permoti Livones, Magistro Ordinis authore, novo fædere se ac Livoniam omnem Poloniæ Lithvaniæq; obstrinxerunt: ex cujus forma, non jam fæderata tantùm Provincia, sed eidem Reipublicæ insita deinceps esset. Itum in leges: in quas ita inter Lithvanos ac Livones conventum est: ut etiamsi Poloni Livoniam suo Regno inseri præscriptis conditionibûs abnuerent, Magno tamen Ducatui Lithvaniæ insita, unitaq; perpetuò maneret. Confectis tabulis die XXVIII. Novembris 1561. iisq; Regis Sigismundi manu, ac Lithvaniæ majore sigillô ritè communitis: Gothardus insignia præteriti officii: Crucem auream, sigillum, litteras & diplomata omnia, quæ ab Imperatoribus, Pontificibus Ordo habuit, publice Regi tradidit in ærario Lithvaniæ deponenda; mox solenni pompâ Dux Curlandiæ & Semigalliæ renunciatus, atq; inauguratus est. Gubernatio verò Livoniæ trans Dunanæ cum Esthonia ac Derpatensis Pontificis ditione, tum Rigæ Gregorio Chodkiewicz Castellano Trocensi Duci Campestri commissa est, ut eam pro Rege administraret, atq; bellum contra Moschos perurgeret.

Egit postmodum Augustus non uno Polonorum conventu, ut illos ad suscipiendam & defendendam Livoniam, tanquam totius Reipublicæ Provinciam induceret: sed hi Livoniæ discrimen extra aleam spectârunt. Tandem 1569. die III. Augusti in Comitiis Lublinensibus, cùm Sigismundus Augustus Ducatum Lithvaniæ Regno Poloniæ solenni ritu conjunxisset, etiam Livonia, Curlandia & Semigallia poscentibûs Gothardi Ducis Legatis toti Reipublicæ Polonæ attributa & adjuncta est. *Leg Volum II.*

Quod attinet Rigensem Archiepiscopatum, 1563 Vilhelmus Brandeburgicus Regi Poloniæ semper fidissimus naturæ cessit, cùm triginta tres annos partim cum Prædecessore, partim solus præfuisset. Rediit quidem paucis ante mortem ejus diebûs Christophorus Coadjutor, & post ejus obitum Diæcesis gubernationem invasit. Et quia Erico Regi Seciæ aperto Sigismundi in Livonia hosti adhærebat, ab Ernesto Veihero captus, in Poloniam missus, in castro Ravensi sub custodia detentus est: ex qua nunc primùm 1569, cùm fidem suam Regi obstrinxisset, dimissus est *Bielski L. V.* Et postquam 1566. Pontificalis ad Rigensem Basilicam Collegii Sacerdotes, omni jure proculcato, particti inter se ejus Collegii amplas possessiones ad sacrilegas nuptias convolâssent, (c) Archiepiscopatus integer in profanam ditionem conversus est. Alios quoq; Episcopatus Livoniæ partim Moschus, partim Seciæ & Daniæ Reges occupârunt, & Lutheranos fecerunt. Eo modo veris sacris spoliatam Provinciam Stephanus Bathoreus aliqua in parte religiosam fecit.

Rex hic Gedanensibus ad officium suum & debitam Regibus Poloniæ obedientiam adactis, ad coercendum Moschum, qui eo tempore magnam Livoniæ partem subegerat, imminebatq; Lithvaniæ, strenuam adjecit manum; & ut totis viribus bellum prosequeretur, 1578. Varsaviæ conventum Ordinum indixit: decisus in eo miles contra Moschum, tributa in stipendium sancita. Bellum hoc non unius anni quam fuerit gloriosum Bathoreo? Moschoviæ perniciosum? Orbis vidit.

Joannes Basilovicius, id est Filius Basilii, armis Ste-

(c) *Kojalowicz P. II. L. VIII.*

Stephani meliùs ſapere edoctus, amiſſis arcibus in Livonia, ac ſuarum partium ditione non exigua, cùm fruſtra legationibûs armorum quietem poſtularet, ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum ſupplex recurrit, ut ejus interventu inter Moſchoviam & Poloniam pax coaleſceret. Dedit benignam aurem precibus communis totius Chriſtianitatis Pater, Gregorius, & ut negotium hocce nomine ſuô componeret, eam Provinciam detulit Antonio Poſſevino S. J. in cujus laudes id dixiſſe ſatis eſt, quod de illo idem Gregorius in litteris Romà 1582. Kalendis Octobris Pontificatus ſui anno XI. ad prædictum Joannem Moſchoviæ Ducem exaravit: *Interea cupimus* ſcribit Gregorius *ut libros litteraſq; eas, quas ad te mittet dilectus filius Antonius, ſic accipias quaſi à nobis ipſis mitterentur. Inter eos enim, quos plurimos habemus, doctrina & pietate præſtantes, unus eſt is, cujus fidem, ſinceritatem & zelum plurimi facimus.*

Anno 1581. Poſſevinus Gregorii XIII. Nuncius ivit in Moſchoviam, properavit ad Stephanum in caſtris ad Pleſcoviam hærentem; & ultro citroq; commeans qua erat induſtriâ, pacem feliciter confecit 1582. quæ in eas conditiones concluſa eſt: Ut Moſchus Polonis Livoniam cederet, Derpato, Novogrodecô argentum Eccleſiaſticum & imagines ſacræ evehi Moſchis permiſſæ. Poloni quoq; Vielicolucum, Zavolociam & Nevelam cum aliquot caſtellis, quæ ſuperiore anno occupaverant, Polociâ Vieliſſiâ totoq; Polocenſi tractu ſibi relicto, Moſchis reſtituerent. De re quoq; tormentaria & apparatu bellico, ita conventum eſt: ut hic iſtius foret, cui quæ debebantur per pacta arces, & in illis repertus eſſet.

Rebûs ita cum Moſcho compoſitis redux in Poloniam Stephanus, Varſaviæ 1582. die IV. Decembris Comitia celebravit, in quibus diſpoſitâ Livoniâ Epiſcopatum Vendenſem approbavit lege totius Reipublicæ. *Imprimis Deo Optimo gratias pro victoria concessa*

ceſſa agentes Verba legis ſunt *ad ejuſq; cultum actiones noſtras referentes, fundavimus Epiſcopatum in eadem Provincia, in locum Archiepiſcopatûs & Epiſcopatuum, qui fuerunt ſuperioribûs temporibûs primùm diſcordiâ, deinde verò hoſtili gladiô exterminati: cujus Sedes Vendæ futura eſt, ubi etiam Canonicorum Collegium inſtituimus: ac item per civitates, villas, & oppida noſtra Regalia parochias, & ſcholas ritus Catholici ereximus.* Legum Volum: II.

Huic Præſuli locum in Senatu poſt Camenecenſem deſignavit Reſpublica 1593. Synodus verò Provincialis ſub Laurentio Gembicki 1621. habita eundem Metropolis Gneſnenſis Suffraganeum eſſe voluit & ſanxit. Sed & hic Epiſcopatus per pacta Olivenſia 1660. ſub Joanne Caſimiro ſublatus eſt. Solus titulus Epiſcoporum Livoniæ, & exigua illis in oris juriſdictio hucuſq; conſervatur: cum Sede ſeu Cathedra Epiſcopali Dineburgi, quæ civitas in Livonia non poſtrema eſt. Chriſtophorus Szembek villam emit, ut aliquem proventum haberet Præſul Livoniæ.

ORDO & VITÆ
EPISCOPORUM VENDENSIUM
Demum
LIVONIÆ.

I.

ANDREAS PATRITIUS NIDECKI
Binis turribus pro Stemmate inſignis.

Ex Præpoſito Varſavienſi Vilnenſi Archidiacono primus Vendenſis Præſul, inviſit Diæceſim ſuam: Rigæ à Patribus S. J. ſolenni apparatu acceptus, ad Sedem ſuam ſe contulit, ſed Volmariæ octavo menſe regere & vivere deſiit 1587. Vendæ ſepultus. Vir eruditio-

ditionis magnæ, cujus monumenta in aliquot operibus reliquit. In laudes ſuas Kochanovium, Solikovium, Vitellium excivit & Starowolſcium: quorum ultimus hoc eidem inſcripſit encomium: *Vir omnium ſcientiarum genere præditus, atq; ob id cuiq; docto & probo charus, maximè, cum in Italia fuiſſet, Boncompagno, Sigonio, Paulo Manucio, Robertoq, Turnero familiaris.*

II.

OTTO SCHENKEN

PRimus hic 1593. tanquam Vendenſis Præſul in Senatu poſt Camenecenſem Epiſcopum locum nactus eſt. Diæceſim ſuam rexiſſet optime, ſed impedimento erat Svecus, bello hic Livoniam invaſit, & Præſulem Eccleſiâ ejecit.

III.

NICOLAUS I. KROSNOWSKI

IN Leopolienſi Metropoli Stanislao Grochowski ſucceſſit *Vide L. I. p. 231.* Poſt ejus aſcenſum Gregorius Tyſzkiewicz Adminiſtrator Curonenſis & Piltinenſis Epiſcopatûs Livoniam regere juſſus, afflicto gregi exiguum fuit ſolatium. Hic quoq; ad Samogitiæ Sedem translatus, demum obiit in Vilnenſi *Vide L. II. pag: 190.*

IV.

ALEXANDER CHODKIEWICZ

De Stemmate Koſcieſza vide p. 171.

CHriſtophori Palatini Vilnenſis Filius. Ex Vilnenſi Canonico Antiſtes Vendenſis nominatus 1649. Sed quia Sedes hæc à Sveco oppreſſa fuerat, in Epiſcopum Livoniæ conſecratus 1653. Tandem in Comitiis generalibus, quia pars Livoniæ intacta ad hærebat Regno, nec Sveco parere permiſſa, reliquo gregi deſignatus eſt cum titulo Epiſcopi Livoniæ, ultimum diem obiit 1676.

V.

ALEXANDER WOLFF

De Stemmate Wolff vide p. 133.

JOannis Præfecti Dineburgenſis Filius, præfecturas varias adminiſtrare meruit. Poſt obitum Hedvigis Gułtowska, quam duxerat vitæ ſociã, Pelplini inter Ciſtercienſes latere voluit; ſed vitæ probitas eidem cœtui præfecit Antiſtitem 1674. Noverat Viri virtutem Joannes III, quare ad infulas Livoniæ excivit, & Innocentio XI. commendavit. Facilis ad vota tanti Regis Roma confirmavit Præſulem, ſed mors invidit. Obiit 1679.

VI.

NICOLAUS II. POPŁAWSKI

AD Leopolienſem promotus Metropolim *Vide Lib: I. pag: 233.*

VII.

THEODORUS WOLFF

AD Chełmenſem Cathedram nominatus. *Vide pag. 133.*

VIII

CHRISTOPHORUS SZEMBEK

IN Gneſnenſi Metropoli ultimum diem obiit *Vide Lib: I. p. 197.*

IX.

PETRUS TARŁO

POſnanienſem Sedem accepit regendam. *Vide L. II. pag: 162.*

X.

X.

STANISLAUS HOSIUS

AD Camenecensem Ecclesiam translatus, in Sede Posnaniensi obiit *Vide L. II. p. 163.*

XI.

AUGUSTINUS WESSELL

ET hic ad Camenecensem Sedem promotus. *Vide pag: 218.*

XII.

CONSTANTINUS MOSZYNSKI

Navi pro Stemmate insignis.

ALexandri & Mariannæ Uieyska Filius, ut viam omnibus dignitatibus præcluderet, Ordinem S. Pauli Eremitæ professus, religiosâ modestiâ omnem ætatem excoluit. In Philosophicis & Theologicis Cathedris eminuit Theologiæ Doctor. Claromontanum Częstochoviensem cætum, ac universam Provinciam sæpius rexit. Multum contribuit ad solennem coronationem DeiparæCzęstochoviensis: huicq; loco devotus edidit annales Claromontanos: opus magno labore comparatum ac commendatum. Et qui digne suo Ordini præfuit, dignus visus est Augusto III, ut Livoniæ Diæcesi præesset. Antistes consecratus, nihil remisit de Religiosa vita. Virtutum & meritorum plenus obiit 1738.

XIII.

VENCESLAUS SIERAKOWSKI

QUi parvas Diæceses: Livoniæ, Camenecensem Premisliensem magno labore excoluit, majore virtute adornavit, ad Leopoliensem Metropolitanam evectus est. *Vide L. I. p. 237.*

XIV.

XIV.

JOSEPHUS PUZYNA

Familia hæc portam patentem, desuper cruce divisa signatam pro insigni habet.

EX Primicerio & Officiali Vicario in spiritualibus Vilnensi Livoniæ Præsul. Vir summa integritate & innocentiâ, ac studiô in tuenda religione præditus. Prostat illius Epistola Pastoralis, seu monita ad clerum & populum sibi commissum. Optime administratam Diæcesim per annos aliquot reliquit, 1752. fatis ereptus.

XV.

ANTONIUS OSTROWSKI

De Stemmate Grzymała

Porta est tribûs turribus eminens, cataphracto milite in foribus cum evaginato gladio, & ; si excubias agente armata.

IN terra Cernensi Palatinatûs Masoviæ, Parentibûs Ludovicô, loricatæ cohortis Vexilliferô, & Catharinâ Słuzewska primam aspexit lucem. Optimâ Parentum institutione & indole instructus, litteris maturus Drohicini primam ætatem expolivit. Eruditionem juvenis æmulabantur multi, plures mirabantur, laudibûs excitabant universi. Varsaviæ demum in Seminario Patrum S. Vincentii à Paulo severioribûs scientiis excultus, sacris adjecit animum: 1736. Luceoriensis, Posnaniensis Canonicus, Joannis Lipscii Cracoviensis Antistitis S. R. E. postmodum Cardinalis, tum Andreæ Załuski, ejus in Sede Cracoviensi Successoris favores meruit. Spectârunt Principes hi Viri in agendo dexteritatem, in consiliis prudentiam; quare potissimam negotiorum molem tractandam & sustinendam ab Antonio voluêre: quam ille felici ad vota utriusq; Præsulis conatu & eventu abunde coronavit. Canonicus ac de-

demum Cancellarius Cracovienſis repetitîs vicibûs ivit ad Tribunal Regni Judex, & omnium ſententiâ gratioſam cunctis fecit juſtitiam. Vicarius in ſpiritualibus & Officialis Varſavienſis à Theodoro Czartoryſcio Epiſcopo Poſnanienſi inſtitutus, Cleri & Eccleſiarum libertatem defendit ſtrenue.

Probabant univerſi virtutem & generoſam mentem: Auguſtus III. æquus rerum arbiter, cum Livoniæ Sedes vacaret, ut illi fortem in agendo Præſulem provideret, ad eam Antonium ſua nominatione Benedicto XIV. commendavit. Annuit facile Roma, & diſpoſitionem Regiam 1753. die III. Aprilis confirmavit. In Præſulem conſecratus properavit ad Diæceſim luſtrandam, à modico quidem grege, à diſſidentibus etiam in Religione magnô animô & honore acceptus Antiſtes, morum affabilitate, compoſitâ ad omnem modeſtiam humanitate nonnullas facultates olim Eccleſiaſticas recepit, quas in dotem Seminarii pro erudiendo clero Patribus S. Vincentii à Paulo per ſe in Livoniam introductis applicuit: præterea in civitate Cruſtavienſi Eccleſiam erigendam obtinuit & curavit.

Dum eô ſtudiô in res Divinas fertur, Antonius Dembowski Vladislavienſis Epiſcopus, magnam ætatem multo rerum uſu & probata virtute emenſus, ad labores Pontificios Oſtrowſcium invitavit, & Coadjutorem, (ut dicimus,) Auguſto Rege & Clemente XIII. probante 1758. adſcivit. Reſpondet abunde votis Dembowſcii, Cruſvicienſem Eccleſiam, primam olim Epiſcopatûs Vladislavienſis Sedem viſitavit, à Canonicis loci illius debito apparatu acceptus: intenditq; curas omnes in ornamentum Diæceſis hujus. Tantos conatus cælum foveat, merita & integerrimam virtutem Patria, Eccleſia attollat dignitatibus.

CAPUT

CAPUT OCTAVUM

De Epiſcopatu Smolenſcenſi.

SMolenſcum civitas ad fluvium Boryſthenem ſita, quæ à ſuo nomine non exiguæ parti Ruſſiæ agnomen dedit, natura & arte munita, arce amplâ, & turribûs famoſa, Epiſcopatûs iſtius Sedes fuit. Ditionem hanc Peucinos coluiſſe ſcribit *Sarnicki in Deſcript: Ver: Sarmatiæ.* Ad Præſens exiguam in hac Provincia juriſdictionem, & ultimum in Senatu Polono locum inter Præſules habent Epiſcopi Smolenſcenſes. Quo tempore verò, & à quo conditus eſt hic Epiſcopatus? patebit ex infra dicendis.

Smolenſcum à longo tempore cùm eſſet juris Poloni, Magni Moſchoviæ Duces illecti opportunitate loci, adeò muniti, ejus potiundi ferebantur deſiderio: ſæpiuſq; illud aſtu, & apertô, ut ajunt, marte tentaverunt. Sed eripi Poloniæ non potuit, niſi per Poloniæ indigenam. Is erat Michaël Glinski, qui ſibi à Sigiſmundo I. & Lithvanis offenſis metuens, cùm in Moſchoviam transfugiſſet, Dux contra Patriam ſæpius dimicavit, ſed ſemper acie infelici. *Vide L. II. pag. 178.* Anno tandem 1514. Baſilius Dux Moſchoviæ cum fruſtra eam Urbem oppugnâſſet, Glinſcio, ut eâ poti-retur, commiſit: omnemq; Provinciam cum arce, ejus patrimonio ſe adjecturum ſacroſancte ſpopondit. Glinſcius cupiditate tantæ Provinciæ permotus, ſuſcipit negotium, ingeniumq; bellicis artibus ſubſtituit: per occultiſſimos nuncios præſidiariorum primùm, tum nobilium fidem largitionibûs, atq; promiſſis ſolicitat, ac demum expugnat.

Audaciores concitati palam apud Præfectum munitionis Solohubum inſtant, ut arx Glinſcio æquis conditionibûs dederetur. Nihil non egit Solohubus ut ſaniora nobilibus & præſidiariis perſvaderet: ſed

nihil

nihil profuerunt obsecrationes insano tumultu abreptis, proditionemq; potius, quam deditionem urgentibus. Omnes turmatim vociferari, ut arx Glinscio quàm primùm traderetur, nisi mallet ipse Præfectus suorum ferrô perire. Expugnatus illorum seditione Solohubus Glinscio Smolenscum XX. Aprilis subdidit: quod Basilius collaudatâ operâ Glinscii sui juris fecit. Ab eo itaq; tempore Smolenscensis Provincia cum sua Metropoli per annos prope centum parebat Ducibus Moschoviæ, nec vindicari poterat ob distractas vario hoste vires Polonas. Sed ne diutius fuisset sub inique usurpato dominio, Sigismundus III. Poloniæ & Sveciæ Rex vi, virtute & prudentia effecit.

Vindicati per Sigismundum Smolensci hæc fuit occasio. Post obitum Joannis Basilovicii Moschoviæ Ducis Theodorus Filius rerum potiebatur, nactus Geniam sive Arinnam uxorem, sororem cujusdam Borissii, quem inter purpuratos Patres legerat in suam & familiæ suæ perniciem. Princeps hic regnandi sortem solis debebat natalibus: Frater etiam illius Demetrius pueritiam vix egressus sub Matris cura tenebatur. Borissius itaq; cum se in eo honoris gradu, & affinitate positum, ac omnia à suo nutu pendere cerneret, ad omnem astutiam à natura formatus, in exitium familiæ Principis technas ordiri, suæ verò fortunæ fundamenta jacere aggressus est.

Theodorum minimè æstimans ob ignaviam, licet tam propinquo sangvine sibi junctum, ut opprimeret, rem parvi negotii arbitrabatur. Demetrius junior quem populus respiciebat, Mater in spem futuri imperii solicitè educabat, molimini Borissii erat obstaculum. Ejus itaq; necem conclusit ambitiosus homo. Tam improbas intentiones Borissii subodorata Principum Mater, filiolum periculo maturè subduxit; & cùm sicarii ad occidendum Demetrium properarent, illa puerum, qui Demetrium ætate & vultu referebat, in ipsius strato

strato

strato callidè locavit, qui suppositus pro vero Demetrio ab immissis interfectus est. (Actum hunc, & servatum à nece Demetrium *Gvagninus* pædagogo illius attribuit. *Kobierzycki* verum Demetrium sublatum esse scribit.) *Vassembergius Hist: Ladislai IV.*

Fama postmodum à Borissio sparsa, Demetrium peste periisse, ut vera à credulo facilè populo accepta liberiorem agendi occasionem dedit insolenti Viro. Quare de Demetrio jam securus, ut etiam affinis sangvinis esset reus, Theodoro annos sex & triginta nato venenum propinat. In dies fatiscens Princeps, conditô testamentô uxorem; germanam Borissii omnium Provinciarum administram scripsit, & naturæ cessit. Quæ Borissii Fratris svasione ad Proceres curâ ditionum dimissâ, in cænobium sacrarum virginum intra Moscuæ urbis mænia recessit. Brevi crudô modô agendi Proceres erant odio omnibus; quare populo determinante, & aliquibûs ex illo Senatu mentem populi probantibûs, Borissius, quasi invitus, & fasces callidâ modestiâ excusans, omnium Provinciarum Princeps inauguratus & salutatus est. *Idem ibidem.*

Demetrius furori Borissii subductus, Velicam à Matre expeditus adolescebat in spem sui imperii, victoq; paulatim duriore gentis suæ genio, laudabilem humanitatem induebat. In Livonia verò liberalibûs imbutus disciplinis, loqui eleganter latinè & scribere didicit. Cùm ad perfectiorem pervenisset ætatem, Paternum solium, & vindictam de Borissio meditari cœpit; sed ad ejusmodi opus perficiendum vires deerant. Erat Polonia in facie, formidabile licet suæ Moschoviæ Regnum, illius tamen auxilium supplex flagitare statuit, id saltem in lucro habiturus, ut, si fidem non haberet, in alieno solo aut delitesceret, aut periret.

Re itaq; cum aliquibus magis familiaribus, & natalium suorum gnaris communicata, ex eorum consilio

dat litteras ad Romanum Pontificem (Paulus V. tum
Petri Sedem moderabatur) quibus poſt recúperatum
Paternum ſolium, maximam ſe cultûs Divini rationem
habiturum, & Moſchoviam ad Eccleſiæ Romanæ unio-
nem perducendam curaturum promittebat. Plenas Pa-
terni amoris à Pontifice accepit reſponſorias: accepit
& alias ejusdem Pontificis ad Sigiſmundum III, & va-
rios Poloniæ Proceres, quibûs commendabatur Deme-
trius. His inſtructus ad Viſniovieccium, poſtea ad Ge-
orgium Mniſzech Palatinum Sandomirienſem diver-
tit, perſonam conditionem ſuam eidem aperiens, ſpe
clam facta, ſi votorum compos fieret, ejus Filiæ, in
quam oculos conjecerat, in uxorem ducendæ.

Re bene perſpecta à Palatino Sandomirienſi, &
ejus genero Viſniovieccio, ad Sigiſmundum Regem
deducitur: & ex variis ſignis legitimus Moſchoviæ Do-
minus, & hæres apparet. (*Kobierzycki Hiſt: Ladislai
Principis L. II.* ſcribit impoſtorem fuiſſe, e monaſtico
clauſtro profugum in Ruſſiam, perq; cænobia Volhy-
niæ, Kioviæq; vagum, ac ignotum primùm latuiſſe, do-
nec aſſumeret larvam, ſub qua Ducis fabulam confi-
dentiùs ageret.) Delectus itaq; impenſis Palatini San-
domirienſis aliquot millium exercitus, Coſacorum
quoq; in ſocietatem invitatum robur, & in ditiones Mo-
ſchoviæ properatum eſt. (A Demetrii partibus ſe-
ptingentos equites, totidemq; pedites pugnæ idoneos
ſtetiſſe prodidit memoriæ *Kobierzycki loco citato.*) De-
metrius his copiis ubi ſuperavit Boryſthenem, Czer-
niechoviam, urbem Dominum ſuum adorantem juris
ſui fecit. Ad Novogardiam infeliciùs ceſſit belli alea;
centum enim millia ad opprimendum in primordiis
Demetrium ſubmiſit Boriſſius, pugnatum acriter à De-
metrianis, ſed à numero majore cæſi plurimi. Verùm
ad Rilſcum jacturam ſuorum vindicavit Demetrius, e-
quitatu fracto, peditatu deleto. Hac victoriâ aliquot ar-
ces finitimas, & Bialogrodum 150. bellicis machinis
muni-

munitum, univerſamq; Severiam in ſuas traxit partes.

Ad hos fortunatos progreſſus Demetrii exhor-
ruit Boriſſius: torquebant animum anteacta facinora,
& commiſſa in familiam Demetrii ſcelera, quæ conti-
nua memoria anxiæ & perturbatæ obtrudebat menti.
Ubi verò accepit litteras redeuntis ad ſuum thronum
Principis, quibûs monebatur, ſe reſpiceret legitimum
Imperii hæredem, dominioq; quod inique invaſerat,
mature cederet, ac cænobium, quod vellet, ingredere-
tur; has in præſentia Poloniæ Sveciæ & Daniæ Legato-
rum cùm perlegiſſet, excandeſcens ſubitò corruit, &
magnâ vi ſangvinis per os, nares, aureſq; effusâ 1605
exeunte Aprili extinctus eſt. *Vaſſembergius in Hiſt: La-
dislai IV.*

Sublato Boriſſio, tota Moſchovia fortunam De-
metrii adoravit, qui viceſimis caſtrîs poſt ſolutam Cro-
mi obſidionem magnificentiâ ſummâ Regiam urbem
ingreſſus, feſtâ omnium acclamatione Magnus Mo-
ſchoviæ Dux, plurium regionum Princeps, Aſtrachani
Caſaniq; Rex ſalutatus eſt. Thronô potitus, ut pro-
miſſis ſtetiſſet, ſplendidam legationem ad Sigiſmun-
dum Regem cum gratiarum actoriis pro ſubſidio, Du-
ce expeditionis Athanaſiô Roſitoviô, Theſaurariô, &
ad Georgium Mniſzech pro Marina Neo ſponſa miſit;
quæ à Bernardo Macieiowski Cracovienſi Præſule,
Rege, & pluribûs Proceribûs præſentibûs eidem De-
metrio ritu Eccleſiaſtico deſponſata, ac ſolenni pom-
pa ab ipſo Palatino Parente & aliis Poloniæ Dynaſtis
in Moſcuam deducta, in Imperatricem coronata eſt.
Sed non diu recuperatô thronô Demetrio cum ſua
Sponſa frui permiſſum, conjurationem novam Baſilio
Szuyſcio adornante.

Baſilius Szuyski, Joannis Szuyſcii olim Pleſcovi-
enſis Gubernatoris Frater, ſub Boriſſio belli Dux ge-
neralis fortunam Demetrii adoraverat; ſed brevi novi
dominii pertæſus, contumelioſis vocibûs ubiq; pro-

Ra

ſcin-

ſcindebat Demetrium, læſæ majeſtatis reus, damnatus,
cùm ad ſupplicium traheretur, Demetrii clementiâ vi-
tam & dignitatem priſtinam recuperavit. Cæterum
nihilo melior conſpiravit in necem ſui Principis: hanc
ut perficeret, opportunitate temporis uſus eſt, eo auda-
ciùs, quo incautius Demetrius Germanorum copias ex
Polonia adductas, Moſchis gratificari volens, dimiſiſ-
ſet. Præmonebatur ille à variis periculi, quare ad de-
fenſionem ſui aliquot e Livonibus, Gallis, Scotis & Po-
lonis legit cohortes. Verùm aſtutior Szuyſcius, fa-
mam per urbem ſparſit, Polonos in armis eſſe, & ad
cædem Moſchorum inſtitutos & animatos. Optatum
fabula hæc habuit eventum. Tota urbs, quanta quanta
eſt, tumultuari, ferocire, & in omnes advenas concita-
ri. Interea Szuyſcius cum ſuis in Demetrium vertitur,
utq; eundem ex aula educeret, æs campanum, quaſi in
ſignum incendii pulſari præcepit. Excitatus Princeps,
cum ſuos ſatellites fugiſſe advertit, majus periculum,
quam incendium ſuſpicatus, corripit acinacem, & per
feneſtram proſiliens, luxato, à præcipiti lapſu, pede, à
Szuyſcianis capitur, & miſere interficitur.

Poſt hanc patratam cædem, ne Regnum eſſet ace-
phalum, de novo rurſus Principe eligendo deliberatum
eſt: tantumq; valuit ſcelus in Szuyſcio, ut ille, quaſi in
præmium criminis in Moſchoviæ Ducem electus fue-
rit. Electionem ſuam, & ſolium nece partum ut fir-
maſſet, ſcriptum evulgavit, quo Demetrium, throni in-
vaſorem, ſacrilegum, ac terrâ indignum promulgavit,
effecitq; in furente populo, ut hic Demetrii cadaver
publice combuſſerit, & cineres in aëra diſperſerit. Su-
blatô e vivis Demetriô, ita fatis Moſchoviæ diſponen-
tibûs, emerſit alter, qui Szuyſcium perſequeretur. Il-
li, qui res turbatas volebant, Coſacis conjuncti novo
Demetrio adhæſerunt, ac fere per duos annos magna
ſtrage impleruut Moſchoviam.

Interea Sigiſmundus III. Poloniæ Rex, cujus Le-
gati

gati ab aliquo jam tempore captivi Moſcuæ detinebantur, variis præterea injuriis laceſſitus, exercitum Smolenſcum verſus Moſchoviam movit: & annô à partu Virginis 1609. hanc urbem, aditu ubiq; interclusô, valida obſidione cinxit, turribûs, propugnaculis plurimiſq; munitionibûs erectis. Moſchi de ſcuto ſui Imperii ſoliciti, ad Białam numerosô exercitu congregatô, vim vi opponendam parabant. Sigiſmundus, ut cæptam Smolenſci obſidionem urgeret, Stanislaum Zołkievium probatum & fortunatum Ducem aliquot millibûs inſtructum hoſti obviam expedivit. Magnô animô profectus Zołkievius Moſchoviæ robur fregit, & reliquias in *Zaremby* (munitio eſt ex terra & arboribus ſtructa) pepulit, ac ne eſſet, qui evaderet, obſedit. Interim à tergo obſidio Smolenſci promovebatur fortiùs. Et ne Poloni tantùm cum Moſchis decertarent, Sveci, Gothi, Vandali, & quidquid populorum ſub his nominibus latet, ſub Carolo Sudermaniæ Duce in defenſivum, offenſivumq; cum Moſchis fædus coaluère.

Et ſane horum quoq; intererat, ne urbe tam opportunâ Polona ſtabiliretur potentia; præſertim, cùm jam Sigiſmundum legitimum & hæreditarium Regem ſuum, a quo deſciverant, timere didiciſſent. Sub Pontio itaq; Gardia novus exercitus, novus hoſtis conſcribitur. Et tanta Szuyſcio Duci erat exterorum fiducia, ut non tantum de reprimendo Demetrio, ſed Smolenſci obſidione levanda cogitaret, ad quod, ſi ad *Zaremby* Zołkievium oppreſſiſſet, momentum allaturum arbitrabatur. Quare 25000. eo deſtinat. Propoſitum ejus intellexit Zołkievius, parumq; intereſſe docuit, cum Svecis, an cum Moſchis dimicaret, cum multis confligeret an cum paucis. Relictis itaq; duobus millibûs ad *Zaremby*, quinque millibûs aſſumptis obviam proceſſit hoſti. Progreſſus hic Ducis Poloni temerarius viſus eſt Moſchis ac Svecis, quare ante pugnam plenæ victoriæ ſpem alebant, vel ſolô numerô oppreſſuri Polonos.

Sed

Sed Zołkievius, ut arte bellica felix, ſic manu fortis, docuit virtute non numerô pugnari, ea celeritate & pertinaciâ hoſtem aggreſſus eſt, ut diſſipatis quibuſvis impedimentis, tam numeroſus exercitus a quinque millibus deletus eſſet. Pontius Gardia exterorum Ductor ægre evaſit Polonorum manus: arx Oſtroſcia expugnata, *Zaremby* quoq; munitio ad deditionem coacta, lucrum fuit Polonæ victoriæ.

Liſſovſcio Duce parte aliâ Poloni totam Moſchoviam peragrabant ea celeritate, ut Liſſovſcius citius oppida expugnaret, quam venire nunciaretur. Demetrius quoq; imminebat, plurimis circa ipſam Moſcuam urbibûs & caſtellis occupatis. Nobilitas & Senatus Moſchoviæ in ſummas anguſtias redacti, quo pax generalis toti Imperio conciliaretur, Szuyſcium rogavere, ut titulum Magni Moſchoviæ Ducis Patriæ, bonoq; publico donaret. Fecit ille tot cladibûs humilior redditus, & Imperii ſignis depoſitis, relictô palatio in privatas ædes ſeceſſit, & brevi ſumptô cucullô cænobium ad Zudnovam ultro ingreſſus eſt.

Itaq; jam abſq; Magno Duce erat Moſchovia, nec alius quiſquam ſperabatur, niſi, qui omnium ſuffragiîs eligeretur. In tres partes Dynaſtæ diviſi erant: Supremus Sacrorum Antiſtes cum ſuis promovebat Baſilium Baſilii Galliczynii Ducis Filium. Telephus vir nobilis cum ſociis Demetrium. Mſciſtavius verò maximæ Vir authoritatis & Polonis addictus Ladislaum Poloniæ Principem. Diu trahebatur electio. Tandem Mſciſtavius, & quod maximum erat, Zołkievius cum exercitu victore vicinus effecere: ut in Magnum Moſchoviæ Ducem Ladislaus Poloniæ & Sveciæ Princeps electus eſſet. Fidem illi omnes juravere: viciſſim Zołkievius nomine Ladislai conſcriptos inter Moſchos & Ladislaum articulos ſacroſancte confirmavit: & mox electionis decretum Sigiſmundo ad Smolenſcum hærenti tranſmiſſum eſt.

Cum

Cum Smolenſco maxima reſtabat difficultas; li-
cet enim inter Zołkievium & Moſchos ſtatutum eſſet,
ut illud Poloniæ reſtitueretur, adeoq; obſeſſis nullæ
mitterentur ſuppetiæ, illud tamen ſub Præfecto ſuo
Michaële Sechino annua obſidione preſſum erat con-
ſtans in ſua pertinacia: & ne Polonum eſſet, Moſcho-
viticum videri voluit; dum deditionem Ladislao Prin-
cipi, tanquam Moſchoviæ Duci, non Sigiſmundo Po-
loniæ Regi promittebat & offerebat; adeò obfirmatô ad
omnem eventum animô erat Sechinus. Imminebat
hyems, plenus itaq; erat ſpei deſerturos ſuas ſtationes
Polonos, ob incommoda in paludoſis illis locis, & Bo-
ryſthenem ripas ſuperantem, ac latè ſeſe diffunden-
tem. Sin verò pertinaces eſſent in ſuis ſtationibus Po-
loni, urbem eſſe, cum qua occumbere, non inglorium
illi videbatur.

Utrumq; accidit: nam intumeſcentibûs aquîs potiorem militem in hyberna deduxit Sigiſmundus. Sed victa hyemis aſperitate, ineunte vere, majore animô obſidionem aggreſſus eſt. Factum Regis minime fregit Sechini pertinaciam, quâ omnis conatus Sigiſmundi irritus reddebatur. Quare obſidionem ſolvere parabat. Interea Bartholomæus Nowodworski Melitenſis Eques, intellectô Regis propoſitô, eum magnâ fiduciâ acceſſit. *Ignoſcat ſua Regia Majeſtas* inquit ille: *quòd ego ſolus ſuam Majeſtatem dehortor à propoſito. Octo dierum moram ſupplico, & pauculos ſumptus, & urbem hanc per Dei gratiam ſuæ Majeſtati tradam.* Avidus victoriæ Sigiſmundus *quos ſumptus vellet?* quærit: *centum centenarios pulveris* reſpondit Nowodworſcius. *Sed ediſſere modum*, ait Rex: *quo hac urbe potieris? Cùm Regia ſua Majeſtas* inquit Eques: *hanc urbem prima obſidione clauderet, canalem ego ferreis cratibûs munitum ſub mœnibus adverti; has ego crates toto obſidionis tempore, variis inſtrumentîs frangere, & tollere laboravi; & ne Moſchi, (qui aliquoties me laborantem audiverunt, & canem eſſe putantes*

eſſe

offa rodentem sæpius lapidibûs impetivêre) adverterent, hyeme vestem coloris grisei, similem glaciei, æstate verò, tempus mentitus, viridem gramina fingentem, induebam; sicq; hostes fefelli, ut sublatis jam cratibûs ferreis, fossaq; factâ Dei gratiâ non frustra tentatum opus perficiam. Simulet itaq; sua Majestas assultum, distrahat & divertat hostem; ego interim, cùm minimè, & qua minimè putabunt parte, à subjecto pulvere ruinam faciam, & subito cum delectis irrumpam, speroq; citra sanguinis effusionem urbe potiturum.

Oratione Nowodworscii lætus Sigismundus, consiliô & arte probata pulverem dari jussit: ipse verò, prout instruxerat Nowodworski oppugnationem adornavit. Annô itaq; à Christo nato 1611. die II. Junii, divisîs ad irruptionem copiis, seorsim Polonis, Germanis, Hungaris, Cosacis, quo æmulatio vires adderet, totidem locis urbem simul aggreditur. Dum pugnatur, dum resistitur, Nowodworski accenso pulvere, stratisq; immani ruinâ mænibûs, à tergo cum delectis, irrumpit, & urbem intercipit. Ad arcem pugna recruduit; sed, ut fit, clamor, consternatio turbabant animos, frangebant vires, ab extra virtus oppugnantium, ab intra omnia depascens flamma. Ad extremum, Smolenscum vigesimô ab obsidione mense cessit Sigismundo III. Poloniarum Regi. Octo millia in expugnatione partim flammîs, partim ferrô absumpta. Quot verò obsidionis tempore interierunt? diversum numerum diversi scribunt. Præter præsidiarium militem ad bis mille & septingentos redactum, Michaël Borisżowicz Sechinus Urbis Præfectus, venit vivus in manus Polonorum, quem Sigismundus ut rebellem etsi punire poterat, ut tamen Moschorum animos sibi conciliaret, in Ladislai Filii electi Magni Moschoviæ Ducis gratiam, vitâ donatum captivum duxit.

Receptô in suam potestatem Smolenscô, Sigismundus ordinatis Smolensci rebùs, cætera curæ imperioq; Jacobi Potoccii Palatini Bracławiensis commisit, eundemq; arci præfecit. Ne verò in absentia quidpiam innovaretur in Moschovia, Basilium Szuyscium cum Joanne & Demetrio Fratribus, per Zołkievium Ducem in Poloniam abduci curavit: qui in Comitiis Varsaviensibus insigni fortunæ ludibriô cum Sechino capto triumphos Sigismundi postmodum nobilitavêre: ac brevi ad arcem Gostinensem in custodiam honestam traditi, intra annum, præter Joannem Szuyscium & Sechinum, præ mærore contabuerunt. Defunctorum corpora ante arcis portam sepulta Sigismundus positis bellorum curîs Varsaviam transferri mandavit, iisq; honorem sepulchri & tabulam marmoream superposuit: quæ demum Ladislaus IV. in Moschoviam avehenda concessit *Vide Kobierzycki L. VIII.*

Ad jacturam Smolensci, & tam opportunæ Provinciæ tota indoluit Moschovia, ad captivitatem suorum Ducum ingemuit. Quia verò urbis hujus aliquando potiundæ spe & desiderio ferebantur Moschi; in locum Ladislai Ducis electi, Michaëlem Federowicz in Magnum Moschoviæ Ducem substituerunt: brevi Moscuâ potiti, fortunam sibi pedissequam existimantes Smolenscum obsidione cinxerunt. Illud tum tuebatur Alexander Gosiewski loci Palatinus, qui felicibûs armis docuit Moschos plus præsumptionis in hac obsidione, quàm virium & fortitudinis habuisse.

Ladislaus quoq; Princeps accepto à Sigismundo exercitu movit in Moschoviam, pluresq; arces & urbes juris sui fecit, pertinaciam tamen Moschorum, ut se electum Ducem agnoscerent, expugnare non potuit. Sperabant illi, aut fami, aut hyemi, quæ imminebat, Polonos cessuros, quare suo Federovicio fortiùs adhærebant. Sed cùm Petrus Konaszevicius Cosacorum Zaporoviensium Ductor, & Lissovianæ cohortes jussu Ladislai vastarent Moschoviam, igne & ferrô in obvia quæquæ sævientes, de fastu demiserunt, & ad pacis conditiones, quibûs antea illudebant Polonis, quamvis seri-

ſerium adjeciſſent animum, Ladislao tamen ut fidem datam ſervarent, nullis rationibûs adduci poterant.

Delegati à Rege & Republica multis egerunt cum Ladislao, ut juri ſuo ad Moſchoviam hic & nunc cederet, differretq; vindictam: ſe verò pacem talibûs temperaturos conditionibûs, quæ rebus ipſius nullam afferrent injuriam. Annuit Ladislaus, expertus etiam militum tumultus, ob penuriam annonæ, & non perſoluta ſtipendia, quos ipſe magnis promiſſis ægre compoſuerat.

Annô itaq; a Chriſto nato 1518. die XI. Decembris induciæ quatuordecem annorum (Moſchi longiores prætendebant) concluſæ. Titulus Magni Ducis Ladislao permiſſus. Titulos verò Livoniæ, Smolenſciæ Czerniechoviæq; ſuo nomini Michaël præfigere prohibitus, quos Sigiſmundus Rex æquiori jure uſurparet. Arces urbeſq; Polonis datæ: Smolenſcum, Biała, Roſłavia, Drohobuſium, Sierpierſcum, Monaſterſcum, Moromſcum, Czerniechovia, Novogardia, cum territoriis ſuis, tam eis, quam trans fluvium Dzieſnam ſitis. Poloni reſtituerunt, Boriſovum, Kozielſcum, Moſaiſcum, Meſcerſcum, Viaſmam cum agris adjacentibus. Quarum arcium reſtitutionem Moſchi compensârunt datis vice verſa Polonis: Starodubo, Począpovia, Popovagora, Nevela, Siebieſo, Kraſno, & Toropecenſibus, Vieliſienſibuſq; territoriis. Ita expeditio Ladislai in Moſchoviam finita eſt, armiſq; ſilentium ad tempus aliquod impoſitum.

Sigiſmundus non ſatis gloriæ duxit Moſchoviam vincere, ſed, ut erat pientiſſimus, & in Superos liberlis; ut Provincia hæc recuperata in fide orthodoxa excoleretur, annuente Paulo V. Summo Pontifice, Epiſcopatum Smolenſcenſem ritûs Latini inſtituit, cujus regimen ſub titulo Adminiſtratoris Petrus Parczewski nactus eſt. Qui Ladislao IV. promovente, Urbano VIII. probante anno 1638. in primum Præſulem Smo-

Smolenſcenſem conſecratus, locum in Senatu per legem Reipublicæ anni ejuſdem, cum ſuis Succeſſoribus poſt Epiſcopum Vendenſem, ſeu Livoniæ deſignatum habuit, & Metropolitano Gneſnenſi tanquam Suffraganeus adjunctus eſt.

Eadem conſtitutio Regni ſanxit, ut Epiſcopi Smolenſcenſes & Canonici eſſent de genere Nobilium, & ne Præſul Smolenſcenſis ad ſuam Diæceſim Eccleſias Kiovienſis & Czerniechovienſis Palatinatus & territorii Novogrodenſis, ut pote ad Epiſcopatum Kiovienſem ſpectantes, traheret, cavit. (a) Smolenſcenſe Capitulum habet pro ſtemmate tres Coronas, ut Cracovienſe & Vilnenſe. Et licet Smolenſcum, ac magna pars hujus Provinciæ juris eſt nunc Moſchovitici, in reliqua, quæ adjuncta eſt Lithvaniæ, Smolenſcenſis Epiſcopus ſuam exercet jurisdictionem. Parœcias tres habet cum Eccleſiis ritûs latini, quartam abſq; parochia, & animarum cura: Sedis verò ſeu Cathedræ Epiſcopalis nullus locus fixus eſt.

(a) *Volum Leg: III.*

ORDO & VITÆ EPISCOPORUM SMOLENSCENSIUM

I.

PETRUS PARCZEWSKI

Faſcia pro Stemmate inſignis.

PAtriâ Lithvanus, dignitate Præpoſitus Starodubovienſis, & novæ Diæceſis Adminiſtrator, eam ſub hoc titulo aliquot annis rexit. Sexcenteſimus trigeſimus ſecundus ſupra milleſimum à partu Virginis annus ſupervenit, Sigiſmundo III. ultimus, qui XXX. Aprilis ſpiritum Deo Conditori reddidit Varſaviæ totius

tius Poloniæ luctu. Post obitum tanti Regis æquè fortunatus, & Paternarum virtutum hæres, Ladislaus Filius anno eodem in Novembri Rex electus, & à Joanne Wężyk 1633. die VI. Februarii solenni ritu in Regem Poloniæ unctus est.

Anno 1618. ut supra dictum, cum Moschis annorum XIV. induciæ pacis erant conclusæ, & conditiones initæ, quibus Smolenscum cum sua Provincia, & urbes aliæ Polonis cesserant, titulusq; Magni Moschoviæ Ducis Ladislao permissus. Tot Provinciarum jactura, præcipuè titulus Moschoviæ Ducis Ladislao permissus angebat Federovicium. Spectabat ille vires suas augeri, sed Ladislaum legitimè electum, victoriis tam de sua Moschovia, quàm de Osmanno Turcarum Imperatore gloriosum metuebat. Verebatur ille potissimùm, ne jus suum electionis fortibûs armis promoveret Ladislaus. Quare post fata Sigismundi in illo funesto Reipublicæ statu, potissimo authore Sechino, qui à Polonis per pacis conditiones dimissus fuerat, armis prævenire Poloniam constituit. Collecto itaq; ex Moschis, Germanis. Gallis, Anglis, Svecis, Dánis, (ac si Europæ pars magna in Polonos conspirâsset) exercitu, eundem Michaëli Sechino ducendum & regendum dedit.

Sechinus, ut notam nomini suo per expugnationem Smolensci inustam deleret, anno 1632. die XIV. Novembris centum septuaginta millibûs (si Vassembergio fides danda) Smolenscum obsidione cinxit. In Regem Poloniæ proximè electus Ladislaus, ac annô sequente inauguratus laboranti Urbi in tempore succurrere non potuit. Defendebatur illa equidem à probatis, Sakolinscio & Woiewoccio, Præfectis, sed ad eas angustias redacta fuerat, ut vix 2400 milites pro præsidio numeraret: deficiebat insuper in annona & re tormentaria. periculumq; erat, ne fami, aut viribus hostium cessura esset.

Post

Post delata sibi solenni ritu Regni Poloniæ insignia Ladislaus primam adjecit curam, ut Smolensco ferret suppetias. Deerat miles, & exhaustum bellis ærarium dandi subsidii exiguam spem faciebat; vicit tamen hæc omnia virtus & fortuna Ladislai. Collectis, quæ ad manum haberi poterant, copiis, aliis, quas conscribendas propriô & Reipublicæ ære injunxit, se sequi dispositis, in Lithvaniam properavit: & feliciter 1633. die I. Septembris in loco Hluszyka dicto, non procul à statione hostium ad Borysthenem castra metatus est. Radzivilius, supremus armorum Lithvaniæ Imperator aliquot millibus auxit cohortes Regias, & in dies superveniens miles magis numerosas fecit. Tanto exercitu, qui longe inferior erat Moschis, & hostem oppugnaturus, & Smolenscum liberaturus Ladislaus castra sua firmavit gemino ponte in Borysthene erectô.

Dispositô ad omnem regulam milite, castra hostium, munitiones, locorum situm accurratô lustravit oculô. Antequam verò aliquid aggrederetur, præsidiariorum & urbis statum cognitum habere voluit. Sed omnes ad Smolenscum aditus erant interclusi: qua autem parte sylvæ & angusti calles spem aliquam ejusmodi notitiæ quærendæ promittere poterant, erant impedimento, obequitantes Moschi; quare nullus intentorum successus sperari potuit. Interim Ladislaus ad ingenium & artem conversus, inauditô hucusq; stratagemate voti compos factus est.

Ambiebant parte ab una urbem sparsa per colles sylva, & frequens per campos arbor: eo loci beneficio usus Rex militem strenuum, & quævis difficillima sustinere paratum, ad opus perficiendum deligit; veste viridi, ac virgultis circum circa indutum, litterisq; ad Sokolinscium, & Woiewoccium ac præmio itineris instructum fortunæ committit. Optatum eventum expeditio nacta est. Viæ ac intentioni Regiæ accinctus miles vigilem Moschorum oculum elusit arte & industriâ

ſtriâ. Ibat ille, & dum advenientem advertit hoſtem, fixo veſtigio arborem mentitus, fallebat quemvis obvium: hoc abeunte circumſpectus ad omne periculum, cautum promovebat greſſum. Et hoc modo dolum minùs advertentibûs Moſchis, non ſemel ab urbe redux, ejuſdem ſtatum, penuriam Ladislao perſonatus nuncius referebat.

Rex, ubi Smolenſcenſes annonâ, milite, pulvere nitrato, & aliis indigere didicit, qua ratione his omnibus provideri, & urbs ipſa obſidione levari poſſet, conſilium inivit. Variis varia ſvadentibûs, deciſum eſt, ut tranſmiſſo Boryſthene, Matiſſonii ſtatio ab aliis remotior oppugnaretur. Miſſo itaq; in urbem virgultis veſtito milite cum inſtructione, ut eodem tempore ex civitate præſidiarii erumperent, quo Matiſſonii munitionem miles Polonus aggrederetur; ſignum ad arma datum eſt.

Die VII. Septembris acriter oppugnata prædicta Moſchorum munitio, & quamvis Regiis viribus fracta non eſſet, dedit tamen ſpatium Woiewoccio cum nonnullis præſidiariis erumpendi. Per urbanum pontem venit ille ad Regem, & viam devehendi ſubſidii demonſtravit, qua legionem peditum annonâ, pecuniâ, nitrato pulvere, aliiſq; neceſſariis proviſum introduxit Smolenſcum. Sed dum de felici ſucceſſu introductæ legionis notitiam Regi eodem itinere defert, à latente Moſcho ſclopetario, humero trajectus, poſt aliquot dies magno omnium dolore obiit. Ab ulteriori oppugnatione hujus ſtationis Rex deſtitit, & in caſtra rediit, contentus annonâ, & re militari urbi ſubveniſſe: & vel maxime, ut eam fortius aggrederetur poſtmodum, cùm Coſacorum & Polonorum copiæ eſſent in procinctu, quibûs brevi miles auctus eſt.

Illuxit dies XXIV. Septembris, qua iterata oppugnatio parabatur. Suis in ſubſidium veniebat Sechinus, præmiſſis mille ſclopetariis, cum ſex equitum turmis

mis, qui montem, per quem Rex ducturus erat exercitum, occuparent, & in adventum ſuum tuerentur. Sed operâ Radzivilii equites illi in fugam acti, ſclopetarii verò brevi temporis ſpatio deleti ſunt. Sechinus ſuperveniens a fugientibus illis turmis ipſum Regem inſtructâ acie hoſtem expectare perſvaſus, trepide ſe recepit. Matiſſonius quoq; ſequenti nocte, ſua caſtra Polonis id minime advertentibûs clam deſeruit.

Et jam ab uno latere Rex Smolenſcum liberaverat, omnemq; commeatum libere in illud invexit. Sequenti luce Radzivilio & Kazanovio belli Ducibûs comitatus in urbem conceſſit, ut populo ex præſentia ferret ſolatium. Ut verò reliquas hoſtium ſtationes circa Boryſthenem obſervaret, caſtellum & mænia aſcendit, ſuis tamen ſe tegere juſſis, ne reverentia præſentem manifeſtaret. Cumq; diligenti oculo omnia hoſtium caſtra luſtraſſet, primùm Dammii Tribuni ſtationem oppugnare cæpit, ſed fructu exiguo, impetum fortiter hoſte ſuſtinente. Sequenti die videlicet XXIX. Septembris iterum Rex validiorem parabat aſſultum; verùm non Dammius duntaxat, ſed & Prozarovius Campi Ductor, ac Carolus Hubertus relictis munitionibûs, pluvia nocte ad Sechinum trepidi properârunt. Reſtabant adhuc præter Sechinum, exercitati optimè exterarum gentium ſub Carolo, Jacobo, & Alexandro Leſleo milites, non propugnaculis tantùm firmi, ſed ipſis ad mænia Smolenſci foſſis infeſti. Hos majori animo Rex aggredi ſtatuit; cæterum & hi non expectato Regis impetu, IV. Octobris, nocte intempeſta, ſupellectili compoſita, machinis noctis beneficio præmiſſis, ſummo cum ſilentio, ut lateret propoſitum, Sechino conjuncti ſunt.

Sic Smolenſcum ſingulari Dei benevolentiâ, invicta Ladislai virtute, à meridie, occidente & Septemtrione erat Regium; ab Oriente duntaxat, contractis in unum copiis Sechini, quodammodo Moſchoviticum perſe-

perseverabat. Sechinus equidem insignibûs auctus copiis, tormentis ac munitionibûs fortis oppugnationem sui contemnebat, neć eam sperabat ob hyemem imminentem. Putabat ille Ladislaum temporum injuriis temperaturum fervores bellicos, & militem in hyberna dimissurum. Cæterum Rex omnem intendebat industriam, ut hoste penitus devicto, urbem integram liberaret.

Erat alaudarum mons, sic dictus: hic hostibus vicinus, sed neglectus, castris Polonis explicandis opportunus videbatur: illo ut potiretur, Ladislaus conclusit. Dispositis itaq; varias in partes legionibûs, ut Moschos falleret, famam sparsit: in penitiorem Moschoviam se iturum, & hostem in ipso capite oppressurum. Interea, quasi continuæ pluviæ vota retardarent, aliis copiis in conspectu hostium perseverabat, aliis alaudarum montem occupabat. Brevi per militarem Architectum locus munitione omni ac re tormentaria firmatus stetit. Trium dierum pluviæ, & cælum nubilum labori erat suffragium, opusq; imperturbatum fecit.

Ubi serenitas orbi reddita, deceptum se novâ operâ advertit Sechinus; quare XX. Octobris uno impetu demoliri statuit, quod triũ dierũ manus erexerat. Vario stratagemate, vi multiplici pugnabatur ab hoste, mons tamen ille in possessione Polonorum permansit, suo tempore Moscho fatális. Ladislaus ut tandem plenâ potiretur victoriâ, hyberno licet tempore minime feriabatur: munitiones ad suorum securitatem, hostium veró perniciem struebat, ampliabat, quibûs Moschos ab omni parte clausit & obsedit. Nec Sechinus otiabatur, opera operibus opponebat, sed pleraq; inutilia, cum Regis propositum ignoraret: in eásq; demum angustias redactus est, ut è castris nemo pedem efferre posset; aquæ, lignis interdictum, omniá Polonis observantibus & prohibentibus. Brevi ea, quæ obsessis evenire

evenire solent, Moschi experti sunt. Morbi, fames invaluére, illumq; exercitum, qui 170000. adimplesse scribitur, virtus Polonorum strenua, variæq; calamitates & ærumnæ adeò diminuére, ut, cùm deditionem faceret, vix 20000. excesserit.

Et ut prospera prosperis cumularentur, hocce tempore accepit Ladislaus nuncium à Koniecpolscio cum litteris, quibûs deferebatur victoria parta de Turcis in Valachia. Quare ob rem à Koniecpolscio bene gestam triumphans Ladislaus, tribûs vicibûs bellicîs machinis detonuit, insonuit & concentus musicus publicæ lætitiæ testis. Factô hoc hostes attoniti, quid ageretur, ignari, causá tandem cognitâ, & ipsi lætabundi vociferabantur: *Si scivissemus, ob victoriam de Mahometanis obtentam, Christianitati congratulantes, vobiscum triumphassemus.*

Interea in castris Polonis fama invaluit, aliùm & numerosum exercitum ex Moschovia venire in subsidium Sechino. Hanc, sive vera, sive falsa esset, Ladislaus ut præveniret, Kazanovium Campi Ducem cum lecta manu misit in interiorem Moschoviam, tum ad terrorem Poloni nominis latiùs inferendum, tum, si hostem inveniret, & pugnæ daretur copia, ad confligendum. Brevi Voronieccium, Notarium Terrestrem Smolenscensem ad Moschoviticam Nobilitatem in ipsam Metropolim expedivit, ut altiùs eorum consilia penetraret, ac cautè adverteret, & scrutaretur. Interim tormentis bellicis hostilia castra lacerare non cessabat, respondente quidem suis machinis Sechinô, sed cum fructu exiguo.

Crescebat in dies malum in adverso milite, augebatur fames, sæviens bruma, & funus frequens multos absumebat. Extremam sortem ut vitarent multi, in dies transfugæ Polona implebant propugnacula. Apertô animô accepit omnes Ladislaus, & opportunis pro-

providit neceſſitatibûs; cenſorem tamen oculum, ut
perſpicax, in univerſos intendit. Inter hos venerat u-
nus bellicâ dignitate inſignis, detulitq; Regi: Sechi-
num à Magno Duce accepiſſe litteras, quibus ignavia,
reiq; bellicæ inſcitia illi objiciebatur: qui tot annorum
apparatum, non Patrio duntaxat milite, ſed etiam exo-
ticô occidentalium nationum & militarium artium o-
ptime inſtructum exercitum tam turpiter à Poloniæ
Rege, tumultuarie collecta manu belligerante, cædi,
fugari, ad extremum cum ignominia nominis Moſcho-
vitici obſideri permiſiſſet.

Hæ litteræ extrema Sechinum tentare coëgerunt:
Annô itaq; 1634. die VIII. Januarii caſtra Regia vi
maximâ adortus eſt. Prope erat periculum, ne illa ex-
pugnaret; ſed in milites Ladislai incidit, qui quaſi ſpi-
ritu Imperatoris ſui animati, ſtationes fortiter defen-
debant: cæſis inſiſtebant alii, ſaucii vulnerum obliti,
non retrahebant pedem ab acie, manum ab ictu. Diu
tenuit atrox pugna & pertinax, nunc in hanc, nunc in
illam partem luctante fortuna. Ladislaus, ut certam ſi-
bi redderet, Coſacos Zaporovienſes armari, & trans
Boryſthenem, qua ſuppetiæ Moſchis ferri tradebantur
à latere hoſtem aggredi imperavit: ipſe ordinato mili-
te caſtris erumpens, apertâ acie prælium reſtituit. Ad
meridiem pugnatum eſt, cum bene mulctatus Sechi-
nus plurimis amiſsis rejectus ſtationes ſuas repetiit.

Dux hic poſt irritam oppugnationem, & non exi-
guam ſuorum cladem, cum famem, & alias ærumnas
augeri ſpectaret, ſerâ belli ſuſcepti pænitentiâ ductus,
cum & nihili vileſceret, in diverſa rapiebatur. Jam
deditionem faciendam, jam ferrô viam aperiendam in-
tendebat; ſed nihil certi, tot contrariis jactatus affecti-
bûs, concludebat. In his animi motibus Ladislai ma-
gnanimitatem explorare elegit. Primum itaq; tubici-
nem cum Legato, mentem Regiam penetraturus, pro
commutatione captivorum utriuſq; partis expedivit:
quem

quem cùm Rex cum indignatione: *propediem Sechinum cum exercitu captivum fore* aſſerens abire juſſiſſet; ad extrema verſus, deditionem obtulit, dummodo toleranda viris imperarentur. Rex & ſi perdere jam prope perditum cùm exercitu Sechinum poſſet, vitæ tamen ſpem fecit, conditioneſq; tempori & ſtatui convenientes præſcripſit: quæ quia ignominioſæ videbantur, ſæpius rejectæ, ſæpius admiſſæ, ut tandem ſuſciperentur, armis Ladislaus effecit.

Dum ita Sechinus fluctuat, Kazanovius & Voronieccius redibant ex Moſchovia: ille ex ſuppetiis hoſtium, millibus aliquot cæſis, longè lateq; vaſtitate illata captivos plurimos, prædamq; gravem, hic ſtudium & benevolentiam à Moſchis pacem poſtulantibus & eo fine miſſos Legatos deferebat. Hos Rex, cùm paulô poſt adveniſſent, quatuor à caſtris leucis ſubſiſtere juſſit, illorum poſtulatis opportunô tempore reſponſurus.

Tum demum Sechinus gratiam Ladislai Regis ardentiùs expoſcebat: eoq; tandem clementiam illius flexit; ut impoſitô armis ſilentiô, Commiſſariis ad deditionis leges formandas deſignandis conventum in monte alaudafum indulgeret. Deſtinati ab utraq; parte comparuerunt in territorio Radzivilii, & poſt aliquot dierum moram, XVIII. Februarii 1634. Polonis præſcribentibûs in eas conditiones conventum eſt.

I. Ut Moſchi jurejurando fidem obligarent, ſe contra Regem ac Rempublicam quadrimeſtri ſpatiô à diſceſſu ex caſtris non militaturos. II. Caſtra integra cum tormentis, apparatuq; bellico, quinimô & ipſis demortuorum armis, Bojarorum, & Equeſtrium virorum phaleris, & pharetratorum inſignibus Regi traderent, ut ſi quiſpiam vel minimam ſupellectilem ſpectantem ad rem militarem ſubtraxiſſe, aut corrupiſſe inveniretur, reus haberetur omnium ſuorum bonorum, exceptis duodecem tormentis, legionoribûs, quæ Rex Sechino avehenda permittit. III. Profugi & proditores o-

mnes

omnes Regi traderentur, peregrinæ verò nationis militibus, ut & Moschis, aut servitio Regio se obligare, aut ad propria redire, liberum esset; subditi autem Ladislai, etiamsi Moschis militarent, cum uxoribus, liberis & omnibus bonis in castris relinquerentur. IV. Ut involutis vexillis fomitibûs extinctis, absq; tubarum & tympanorum sono ad locum à Ladislao ordinandum exirent: ubi sua vexilla signiferi ad pedes Regios deponerent, tribusq; passibûs, & ternâ reverentiâ recedentes, tam diu morarentur, quoadusq; Dux Radzivilius, Lithvaniæ exercituum generalis Ductor. S. R. M. nomine tollere vexilla mandaret. Ipse Michaël Borisowicz Sechinus Moschorum generalissimus, cum Palatinis, Ducibûs, Tribunis Officialibus bellicis & aulicis, cujuscunq; nationis essent, descensu ex equis facto, ad pedes Regios prostrati, vitam exorarent, & à Radzivilio equos ascendere jussi tympanorum, tubarumq; clangore audito cœptum prosequerentur iter. Nemini autem subditorum S. R. M. in via molesti essent, sed commeatum necessarium justô pretiô compararent.

In eum modum à Commissariis negotium deditionis compositum erat. Sed ab illa Sechinus cum non nullis primoribus comprobanda alienus, mutati animi rationem adducebat, quòd in conditionibus Magni Ducis sui nomen prætermissum esset; revera autem, imminente jam propiùs ignominiâ, pænitentiâ ductus, ne tanto esset opprobrio, ferrô viam tentare præsumebat. Ludi patientia Regis videbatur; itaq; cum magna indignatione Ladislaus in castra hostium detonuit, quin Danilovicio injunxit, ut templum S. Spiritûs, quod castris Sechini eminebat, apprehenderet, quod ille XXI. Februarii deletis excubiis occupavit. Putabant Moschi castris suis Polonos imminere, quare ut periculum averterent, in munitionibus explicârunt aciem timore magis, quàm ordine dispositam. Summo mane, dum extrema sibi à Polonis parari Sechinus adverteret, ocyus tubicinem ad impetrandam Ladislai clementiam expedivit. Adire castra hic non permissus, verùm

rùm ubi gemente & plangente tubâ Regis Christiani misericordiam postularet, à Jacobo Zadzik Regni Cancellario exoratus Ladislaus, Abrahamovicium Tribu-num, Moschis petentibûs in castra Sechini ad Lesle-um Carolum ire permisit.

Multis rationibûs egit Abrahamovicius, non ultra tentandam Ladislai benevolentiam, nisi pessima quæquæ experiri mallent. Quare supplicatum Regi denuo, ut in monte Alaudarum alter conventus celebraretur XXIII. Februarii. Ægrè congressum hunc concessit Ladislaus. In illo postulabant Moschi conditiones initas leniri, & equos submitti ad sarcinas in Moschoviam devehendas. Sed nihil à Regiis impetrari poterat. Statutum itaq; est, ut XXIV. Februarii conditiones Sechinus subscriberet, Commissarii utriusq; partis jurejurando firmarent, Sechinô & aliis Officialibûs in aliud tempus reservatis: posterâ verò die, castella duo, unum cis Borysthenem in monte virgineo, alterum trans Borysthenem exstructum Regi traderent. Omnia hæc sincera fide peracta sunt.

Ut primùm dies XXIV. illuxit, per internuncium conditiones ad Sechinum missæ. post aliquot horarum deliberationem ab eo subscriptæ, per eundem internuncium in montem alaudarum relatæ sunt. Tum mensâ Ecclesiastica apparatu adornatâ, ad crucis simulacrum præsente Sacerdote Rutheno Moschi accessere, quibus à Radzivilio Duce Palatino Vilnensi ad jusjurandum fideliter & Christiane præstandum admonitis, gentis more, percussa fronte, crucem exosculati formulâ sibi consvetâ fidem obstrinxerunt. Sequebantur Moschos peregrinarum nationum nomine Jacobus, Carolus Lesleus, qui traditâ à Nicolao Corffio Castellano Vendensi juramenti formulâ, consvetis sibi ceremoniis juravère. Polonorum verò nomine, Charlinius Aulicus Regius, & Butlerus Tribunus juxta ritum Catholicum flexis genibûs, verbis præeunte Martiano

Tyzna Lithvaniæ Referendario, juramentum præstiterunt. Novissime diversæ Religionis erectis tantummodo manibus jurarunt.

Posterâ die, ut erat condictum, cis & trans Borysthenem castella Moschi relictis tormentis, & re militari Polonis cessêre: quæ Janussius Radzivilius Ducis Filius Polono vexillo vallis fixo, & terna explosione præsidiô Regiô se munivisse promulgavit. Post meridiem Commissarii Poloni, aulâ Regiâ splendide ornatâ comitati descenderunt in castra adversa, ut ab ipso Sechino, Artemio Ismaële Cnesio seu Principe Białosielsci, & præcipuis Moschorum Ducibus juramentum exigerent: quibus aliquo tempore occupatis Rex cum Radzivilio Duce (Alexandro Piasec zynscio Castellano Camenecensi instructa acie cum plerisq; copiis militarem pompam interim adornante) munimenta hostium lustravit, ad quos juramento jam deposito, Artemius & Prozarovius. (Rege mox instar equitis, ne nosceretur, audiret tamen, in primum ordinem concedente) inclinato capite, cùm turma equitum advenerunt. & Radzivilio Duce salutato, fœdera sacrosancte servanda, multa in eam rem prolocuti, confirmàrunt.

Die posterâ, quæ erat XXVI. Februarii, Legati Moschovitici in Senatum admissi, cùm multa circa Magni Ducis sui titulos peroràssent, Jacobus Zadzik Culmensis Episcopus, Regniq; Cancellarius, dictis abstinerent, svasit; se enim nullum Magnum Moschoviæ Ducem agnoscere, nisi Ladislaum. Si autem quid Senatorum Moschoviæ nomine indicandum haberent, sine multis titulorum phaleris proponerent. Nondum acquiescentibûs Moschis, Dux Radzivilius, admotâ capulo dextrâ, *de titulis* inquit *non verbis, sed ferrô disputandum est*. Mitiora docti Legati, suorum nomine pacem petiere: reposuit Dux: *Si pacem & Legatos nostros eam deferentes audire voluissetis, non tantum sanguinis Christiani fusum esset*. Obortis lachrymis responderunt Legati

gati: *Puniat, disperdatq; Deus infausti belli lucentores, quod illi displicuisse apparet perspicuè, cùm nos geminô malô, damnô & ignominiâ castigavit*. Postulabant tandem, ut locus & tempus fœderibus designaretur. Quinta Aprilis determinata, locus vero ille definitus, in quo Ladislaus Rex in persona die condicto futurus esset.

Dies tandem I. Martii Regi & toti Poloniæ supervenit gloriosa, qua per Sechinum juxta conditiones præscriptas Castrorum deditio facta est. Ladislaus horâ diei decimâ Palatinis & Nobilibus comitatus, transgressus Borysthenem, prope Cosacorum Zaporovienfium stationem, ad duodecem millia aciem rite disposuit: vehebatur ipse equo Neapolitano phaleris & peristromatibus adornato: non procul ab ipso Casimirus Princeps, Regni Cancellarius, Duces, Radzivilius, Kazanovius, aliiq; Senatores, ac copiarum Ductores procedebant. Tum exercitus Moschoviticus ad tympanorum, tubarumq; sonum in castris Regiis, stationibus suis, mediocri ordine, vexillis complicatis absq; tubarum, & tympanorum sonitu in apertum prodiit. Primus ordine & dignitate Michaël Borisowicz Sechinus, comitibûs, Prozarovio, Artemio Ismaelis Principe Białosielsci, novemq; Prætorianorum cohortibûs ad Regem venit, & ubi ad destinatũ à Rege locum processisset, omnes descensu ex equis facto, nutum Ladislai expectarunt. Vexilliferi vero sua signa cum cultu Majestatis ad pedes Regios posuêre. Inde Sechinus cum suis primoribus accessit, & trina capitis ad terram submissione victricem adoravit Majestatem: quibus ritè peractis vexilla permissa, & posse progredi clementer indultum est. His succedebant alii eodem ritu & cultu Ladislaum adorantes.

Hunc finem habuit famosissima Smolensci per Moschos obsidio: in quam motu Sechini ærarium exhausit, vires suas diminuit Moschovia. Ladislaus nec minûs pius quàm fortis esset; victoriæ suæ gloriam in De-

Deum fortunæ authorem retulit: posteraq; die in suis castris post rem Divinam peractam, Hymnum Ambrosianum cum tormentorum explosione, & musico concentu lætus gratusq; cecinit. A Deo ad homines conversus, iis, qui in partem laborum & victoriæ venerant, partem honoris & gloriæ tribuit, belliq; Ducibus, præcipuè Christophoro Radzivilio, & Martino Kazanovio pro re bene gesta publicas egit gratias: ac bene meritis præmia distribuit. Quo facto totum exercitum sibi addixit adeò, ut hic extrema quæquæ sub Ladislao tentare & subire paratus esset. Tertiâ tandem luce hostilia castra invisit: quæ ut artificiosè structa, sic omni commeatu & apparatu bellico munita animadvertit, taciteq; sensu opem Divinam adoravit.

Ut autem victoriâ uteretur, relictis Smolensci impedimentis, ulteriùs in Moschoviam progressus, plurimas arces expugnavit, aliis ultro victori se submittentibûs. Eo fortunato armorum Ladislai cursu Moschi perterriti, missis Legatis, multò humiliùs & ardentiùs pacem expetivère. Flexus humili legatione Ladislaus, Jacobo Zadzik, Regni Supremo Cancellario, Christophoro Radzivilio, Martino Kazanovio, belli Ducibus, Alexandro Gosievio Palatino Smolenscensi, Alexandro Piaseczynski Castellano Camenecensi, Martino Tryzna Lithvaniæ Referendario, Andrea Rey Præfecto Lubuscensi, Nicolao Gnievosio, Lublinensi, Alexandro Oginski Trocensi, Vexilliferis, condendæ pacis negotium commisit. Multis, res hæc agitabatur, parte quavis honestissimas genti suæ conditiones exigente. Post plures congressus, post plura litigia, tandem his articulis pacis fædera conscripta sunt.

Ut occasio ulterioris belli, discordiæ & diffidii evitetur, Rex Ladislaus, (cui alias virtute contractus, ante aliquot annos, cum Stanislao Zolkiewski Supremo Exercituum Duce, Poloniæ Legato, initi, collatum erat

erat Moschoviæ Imperium) libere, & publicè pacis gratiâ, Moschovitas ab illo, quo se obligaverant, juramento absolveret. Jus, quod in Magnum Moschoviæ Ducatum habebat, Michaëli Federovicio remitteret, & decretum electionis, ac litteras prædictum jus & titulum Magni Moschoviæ Ducis continentes Moschoviæ Ordinibus restitueret. Magnus è contra Moschoviæ Dux cessionis hujus intuitu, & amicitiæ in Regiam Majestatem affectu, Ducatum Smolensciæ, Severiam urbem & Principatum, insuper arces istas (quarum aliquæ superiori tempore in potestatem Regis venère, aliæ durante hoc bellô occupatæ sunt, quædam adhuc Moschoviæ Imperio parebant) Novogrodecium, Drohobusium, Białam, Roslaviam, Starodubum, Poczapovam, Trupiescam, Nevelam, Sibiesum, Crasnam, Moroscum, Vieliscavlosam, & Popovagoram cum earum terris, jurisdictionibus, armis, machinis bellicis, omnibusq; ad eas pertinentibus re nulla excepta, cum omni jure, quod idem Magnus Dux ad eas se hactenus habuisse existimavit, spatiô duarum septimanarum, præsertim Moschorum adhuc imperio subditas, centurionibus à Ladislao Rege designandis traderet, & in æternum Regi, Regno Poloniæ, Magnoq; Lithvaniæ Ducatui cederet, ita, ut ne unus harum ditionum subditus extra territorium earum migraret. Ne præterea vi hujus stipulationis, Magnus Moschoviæ Dux in posterum se totius Russiæ Cæsarem, Smolensciæ Ducem, Severiæ Principem, uti fecerat hactenus, scriberet. Ad hæc: Idem Magnus Dux in Livoniam, Curlandiam, Estoniam, nullum jus sibi assumeret, nec bellô eas infestaret, ullàve ratione vexaret: imò nulli exercitui transitum ad eas oppugnandas permitteret. Deniq; nulli Regis Polonorum hosti, qui nunc, aut postea esset futurus, Magnus Moschoviæ Dux pecuniâ, commeatu, milite, vel alia quapiam re esset auxilio, aut transitum per suas ditiones in damnum Poloniæ concede-

cederet. Poloniæ quoq; Rex Magno Moſchoviæ Duci obligaretur, & alter alteri omne bonum volens, hoſtem alterius, ſuum haberet. Gravamina autem, injuriæ, damna data ad invicem, & accepta, æterna oblivione ſepelirentur. Conditiones hæ 1634. die XIII. Junii conditæ, per Regem Poloniæ & Magnum Ducem Moſchoviæ fide jurata confirmatæ ſunt. (a) Sed quam diu per Moſchos ſervatæ? patebit infra.

Ea immortali gloria ſui nominis Ladislaus vindicatam Smolenſcenſem Provinciam, brevi in ſpiritualibus regendam commiſit Petro Parczevio, cum pleno & integro jure, Roma tanti Regis diſpoſitionem probante. Votis Regiis abunde reſpondit Petrus, & quia majora merebatur, ad Samogitiæ Epiſcopatum evectus Smolenſcenſem Diæceſim Viro de Scientiis & Patria optime merito regendam reliquit.

II.

FRANCISCUS DOLMAT ISAYKOWSKI
De Familia Pruſſorum.

JOannis Succamerarii Oſmianenſis, Theſauri M. D. Lithvaniæ Supremi Notarii, & Annæ Telatycka Filius, dignitates, quas geſſit, & Natalibus & virtuti debuit. Trabſcenſis primum, ubi Eccleſiam à fundamentis erexit, brevi Geranonenſis Infulatus, Grodnenſis, Trocenſis ac Cathedralis Vilnenſis Præpoſitus. M. D. L. Secretarius, Cancellariæ Majoris Regens, Notarius, Referendarius ejuſdem Ducatus, tandem Epiſcopus Smolenſcenſis à Joanne Caſimiro nominatus, Innocentio X. annuente, optimi Præſulis munus adimplevit: & ut liberalitati in Chriſti ſervos non deeſſet, Grodnæ Collegium Societati JESU condidit.

Poſt

(a) *Vaſſembergius Hiſt. Ladislai IV.*

Poſt obitum Michaëlis Federovicii (qui anno 1645 deceſſit) Ducis Moſchoviæ, Alexius Michalovicius Filius in magno Ducatu ſucceſſit. Hic ut avulſas per articulos pacis Provincias fatis, ut ajebat, permittentibus vindicaret. non attenta Patris fide jurata, ſeditionem Chmielniccii fovebat armis & conſilio. Joannes Caſimirus, qui tum Regno præerat, totaq; Reſpublica Smolenſco juſte metuens, ejus ſecuritati proviſura, per legem anni 1653. ad numeranda ſtipendia militi præſidiario Commiſſarios deſignavit: inter quos hunc Franciſcum Præſulem primum eſſe voluit. Partes commiſſi negotii executus abunde Antiſtes, præter numeratam à Republica mercedem, proprio ærario juvit militem, & ad fortiter agendum pro Republica, pro aris, pro focis hortatus eſt.

Sed in fatis erat, ut urbs hæc Moſcho cederet. Annus à partu Virginis 1654. vertebatur, quo Alexius Dux Moſchoviæ ruptis cum Polonia fœderibus, centum millium exercitu ditiones Polonas ingreſſus, cùm multiplici hoſte afflicta eſſet Polonia, Kioviam Polociam expugnavit, Smolenſcum obſidione cinxit. Veneſat urbi in ſubſidium Joannes Radzivilius cum decem millibus, ſed multitudini hoſtis ceſſit. Defendebat urbem Philippus Obuchovicius loci Palatinus, qui primos Moſchorum inſultus licet eluſiſſet, poſtmodum egit ſegnius, eaq; de re ab audacioribus admonitus, dixiſſe fertur: *Diuturni temporis ſpatio à Majoribus recuperatum Smolenſcum, non unius horæ momento ob inconſultam præcipitantiam perdendum.* Ad ea quidam Nobilium repoſuit: *Imo in fatis eſt, ut quam urbem Majorum noſtrorum ſimplicitas, Moſchis eripuit, eandem tu nimia ſapientia amittas.* (b) Veram dictionem eventus probavit, nam idem Palatinus quarto ab obſidione menſe in Septembri 1654. Smolenſcum Moſchis ſubdidit.

Fama, de recepto eo modo per Moſchos Smolenſco

(b) *Naramowſki L. I. C. X.*

sco, ubi Poloniæ innotuit, totam commovit Rempublicam. Causa hujus deditionis magno strepitu in Comitiis 1655. agitata, sed cùm conventus hic & brevi tempore definitus, & præsidiarii Smolenscenses in jus ad respondendum non essent provocati, negotium hoc ad sequentia comitia rejectum est: interim Palatinus publicis consiliis adesse prohibitus, & stipendia officibus militaribus ne solverentur, per decretum Reipublicæ quæstoribus injunctum est. Illi verò qui Duci Moschoviæ adhæserunt, & fidem obstrinxerunt pro hostibus Patriæ declarati. (c) Nunc primùm post obitum Obuchovicii 1658. res discussa, patuitq; per proditionem loci incolarum Urbem tam prævalidam cessisse Moschoviæ. *Vide Constit. 1658.*

Tali modô Smolenscum sangvine Polonorum per Sigismundum III. expugnatum, per Ladislaum IV rarâ fortitudine defensum, fæderibûs, Poloniæ & M. D. Lithvaniæ adjunctum, amissum est. Eam cladem Patriæ ne vidisset Franciscus Præsul, illam obitu suo præcessit aliquot mensibûs.

III.

HIERONIMUS DUX SANGUSZKO

Equite Lithvano pro Stemmate insignis.

GEdimini, (d) aliorumq; Ducum Lithvaniæ & Regum Poloniæ sangvis: Filius Simeonis Samuelis Palatini Vitebscensis, qui primus ex sua Familia abjectis Photii erroribus Romanæ Ecclesiæ accessit, & Annæ Zawistanka Filiæ Palatini Vitebscensis, Pauli, Supremi Ducatûs Lithvaniæ Mareschalci, plurium Ecclesiarum conditoris, non ita pridem vitâ defuncti Avus. Indolem optimè variis disciplinis excultam sacris appli-

(c) *Constitutio 1655.* (d) *Familia Sanguszkorum à Lubarto Gedimini Filio procedit, unde etiam Duces hi Lubartowicii dicuntur.* Niesiecki Tom: IV.

applicuit, ut non tantùm natalibûs, sed & pietate Princeps coleretur. Et qui ad mitras genitus fuerat, à Vilnensi Præsule Abrahamo Woyna in laboris societatem Suffraganeus adscitus, sub titulo Metonensis, Præsul eminuit.

Brevi à Joanne Casimiro ut afflictæ per Moschos Provinciæ esset solatium, Smolenscensis Antistes dictus ab Innocentio X. confirmatus est. Parabatur ad majores Infulas sed dignitates & vitam mors immatura impedivit. Obiit 1657. Domus suæ Celsissimæ in varias stirpes divisæ seriem collegit. In sacras familias, præcipue Societatem JESU vixit liberalis, illius Collegii Minsci munificus conditor & Patronus, quod beneficâ manu inchoavit. *Leg: Volum: V.*

IV.

GEORGIUS BIALOZOR

IN anno 1661. Vilnensis Præsul. *Vide Lib: II. pag 193.*

V.

CASIMIRUS PAC

AD Samogitiæ Sedem Regia nominatione, & confirmatione Romana assumptus. *Vide p. 37.*

VI.

GOTHARDUS TYZENHAUZ

Bove sylvestri, avitæ Domus suæ insigni, pro Stemmate usus.

JOannis Gothardi Palatini Derpscensis (qui lectione Controversiarum Bellarmini, quas refellere intendebat, victus, Religionem Romano Catholicam professus est *Niesiecki Tomo IV.*) & Susannæ Sapiezanka Filius. Primum Canonicus Vilnensis, brevi Suffraganeus, & ejusdem Episcopatûs Administrator, Abbas He-

Hebdovienſis, Smolenſcenſis Præſul nominatus, invidente fato, ante Romanam bullarum expeditionem 1669. vivis ereptus. Ejus & Parentis illius merita abunde dilaudat Conſtitutio 1661.

VII.

ALEXANDER KOTOWICZ

AD Vilnenſem promotus Sedem. *Vide Lib. II. pag: 196.*

VIII.

CONSTANTINUS BRZOSTOWSKI

UT in hoc, ſic in Vilnenſi Epiſcopatu ſucceſſit Alexandro *Vide L. II. p. 197.*

IX.

EUSTACHIUS KOTOWICZ

De Stemmate Korczak vide p. 145.

IN Collegio Canonicorum Vilnenſium dum eminuit, Præpoſitus Trocenſis, Magni Ducatûs Lithvaniæ Referendarius fieri meruit, brevi Epiſcopus Smolenſcenſis Diæceſim exemplô & omni pietate moderatus eſt. Palatium ad Cathedralem Vilnæ Eccleſiam non exiguis impensis erexit. Obiit 1700.

X.

NICOLAUS ZGIERSKI

EX Smolenſcenſi ad Samogitiæ Sedem aſſumptus *Vide p. 35.*

XI.

ALEXANDER HORAIM.

IN Epiſcopatu Samogitiæ Zgierſcio ſucceſſit *Vide pag. 40.*

XII.

XII.

LUDOVICUS OGINSKI

Porta, cui eminet crux in parte ſuperiore diviſa, inſignis.

DUcum Lithvaniæ, juxta Koiałowicz Ducum Severiæ ſangvis. Hunc Familia curulibûs ac heroicis virtutibus inſignis Patre Nicolao Caſtellano Trocenſi, Matre Kopciowna Orbi dedit: indoles ad ſumma evexit. Ex Canonico Vilnenſi Antiſtes Smolenſcenſis, immaturô fato honoribus ereptus 1718. vix unius anni Præſul.

XIII.

CAROLUS PANCERZYNSKI

AD Vilnenſem promotus Sedem *Vide L. II. p. 201.*

XIV.

BOGUSLAUS GOSIEWSKI

De Stemmate Slepowron Vide p. 221.

MAgnorum meritorum Familiæ ſuæ hæres, & Succeſſor, in Suffraganeatu Albæ Ruſſiæ (Diæceſis eſt Vilnenſis) cæpit eminere Præſul, Sede vacante Epiſcopatûs Vilnenſis negotiorum Diæceſis molem ſuſtinuit, & tractavit dexterrime. Tandem Smolenſcenſis Antiſtes. Pontificalem dignitatem optimis adornavit virtutibûs, ulterioribus honoribus mors impedimentum poſuit. Obiit 1744.

XV.

GEORGIUS HILZEN

In campo albo, trabe coloris rubri foliis lauri tectâ inſignitus.

DE Familia Eclorum in Livonia inter primas Principe

cipe, & ſupremo olim Livonienſium magiſtratu inſi-gni, Patre Georgio Conſtantino, Præfecto Margenha-venſi genitus VI. Decembris 1692. Præpoſitus Ca-thedralis Livoniæ, Magni Ducatus Lithvaniæ Notari-us, Smolenſcenſis Epiſcopus X. Maji 1745. conſecra-tus. Præſul ut pietate, ſic eruditione inſignis, cujus monumenta in libris editis habet orbis Polonus. Co-adjutorem (ut dicimus) Epiſcopatûs annô 1758. die IV. Maji, annuente Auguſto III. & Roma, adſcivit Wodzinſcium Vilnenſem Canonicum, rebûs geſtis pro Eccleſia conſpicuum. Exiguam Diæceſim am-plo regit ſpiritu, in eruditionem parvi gregis eos intendit labores, qui maximo ſufficerent.

INDEX

INDEX RERUM

Prætermittuntur in hoc Indice nomina eorum Præſulum, quorum vitæ in ſuperioribus Libris annotatæ ſunt.

T

Bidgo-

Ho-

Ku-

Szuy-

ERRATA CORRIGE

Pag: 1. versu 17. sob lege sub
Pag: 44. versu 13. Benedisti. lege Benedicti.
Pag: 61. versu 18. masvetudinem. lege mansvetudinem.
Pag: 62. versu 33. crontractam lege contractam.

Pag: 75. ver: 10. VENERUS lege VERNERUS.
Pag: 79. ver: 11. inteceptis lege interceptis
Pag: 96. ver: 9. inteventu lege interventu.
Pag: 112. ver: 12. Ordinis. lege Ordinis
Pág: 128. ver: 1. btevi lege brevi
Pag: 148. ver: 33. duellio lege duello.
Pag: 154. ver: 10. crudedelis lege crudelis
Pag: 158. ver: 19. JOANES lege JOANNES
Pag: 216. ver: 26. aunulum lege annulum.
Pag: 268. ver: 32. Sakolinſcio lege Sokolinſcio.

ERroribus, qui in typum irrepſerunt, parce Lector benevole; hi enim etiam in maximè accuratorum Scriptorum operibus contingunt. Meis quoq; ignoſce, præſertim, ubi de origine & initiis Eccleſiarum Cathedralium ac earum primis Præſulibus controverſiam, & non poſtremam difficultatem reddunt diverſi Authorum ſenſus. Nihil ego concluſi meo judicio, diverſitatem hanc Scriptorum expoſui, & quidquid adduxi in his lucubrationibus, authoritate aliena confirmaré curavi.

Poſt finitum Tomum III. qui concludit quatuor libros de Vitis Præſulum Poloniæ à me ſcriptos, accepi Originem Eccleſiæ Cathedralis Kiovienſis, ejuſq; Epiſcoporum ſeriem, Opus non tantum Scriptoris eruditi, ſed etiam aliorum authoritate abundans & inſigne. Initia hujus Sedis Pontificiæ, quòd ſint controverſa, dilucidè probat Author eximius: nec id ego de eodem Epiſcopatu L. IV. C. V. tractans diffiteor: quòd Sedes prædicta ante annum 1321. erecta ſit, mihi quoq; certum eſt.

Author eruditus aſſignat Sedi huic primum Epiſcopum Alexium, ego ſenſum ſecutus Nieſieccii, (vide præfationem ad Lectorem Tomo I. Lib: I.) prædictæ Eccleſiæ primum præfeci Henricum, qui teſte Nakielſcio poſt longam Sedis hujus vacationem inchoavit interruptam ſeriem Kiovienſium Antiſtitum. Orłovium de Vindiciis Epiſcopatûs Kiovienſis ad manum non habui, certè authoritati Viri hujus facilè ſubſcripſiſſem; non enim ſum tenax judicii mei, alieno etiam regi ſvetus.

FINIS

Hist. Polon

6, sparim